



**Jubilæum Sæculare Ecclesiæ Catholicæ Per Septendecim
Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala**

Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala ; Ex Annalibus
Ecclesiasticis collectum Pro Xenio Oblatum Academicæ Sodalitati
Dominorum B. Mariæ Virginis Annunciatæ Herbipoli, Anno ...

Herbipoli, 1700

Sæculum Nonum Continens res in Ecclesia memorabiles quæ contigerunt
ab anno 800. ad annum Christi 900.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64756)



SÆCULUM NONUM

Continens res in Ecclesia
memorabiles quæ contigerunt ab
anno 800. ad annum Christi
900.

DECAS I.

✿ Ab anno 800. ad annum 810. ✿

801. Irene Augusta Constantinopolita-
nis tributa remittit quibus gravissi-
mè premebantur.

Carolus Magnus ut se præstaret verum
Imperatorem, & subditos omnes in officio
& in devotione erga sedem Romanam pios
Catholicos retineret, salutares leges pro-
mulgavit: inter viginti tria capita le-
gum hæc aurea sententia inter alia posita
invenitur. *In memoriam B. Petri Apostoli
honoremus, sanctam, Romanam & Apostolicam
Sedem; ut qua nobis Sacerdotalis mater est di-
gnitatis, esse debeat Ecclesiastica Magistra ra-
tionis,*

tionis, quare servanda est cum mansuetudine
humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta
Sede imponatur jugum, tamen feramus, & ipsa
devotione toleremus.

✽(802.)✽ Carolus M. mittit Legatos
Constantinopolim ad nuptias (ut quidam
scribunt) se inter & Irenem conciliandas,
a quibus Augusta minimè abhorruit: sed
subito mutatâ rerum facie Tragedia Para-
ranymphis, Legatis Cæsareis, Constanti-
nopoli exhibita est, Nicephoro Patricio
& Logotheta generali Irenem in ordinem
redigente, quam in Lesbium Insulam de-
portari iussit, & ipse per tyrannidem Im-
perare cœpit. Itaque Legati non jam de
nuptiis, sed de pace perpetua inter Orien-
tem & Occidentem confirmanda egerunt,
& eâ feliciter coalescente, cum litteris si-
mul & Legatis a Nicephoro novo Augusto
transmissis ad Carolum reversi sunt. Fi-
dem autem Nicephori quod attinet, ta-
meti Catholicus haberetur, Iconoclastis
tamen favebat; Manichæorum hæresin
probabat, sacra ut profana tractabat, Ec-
clesiasticam immunitatem pessumdare non
verebatur, & communionem cum Pontifi-
ce Romano averfabatur.

Joannes Dux Venetorum in ejusdem
nominis Patriarcham Gradensem immane
sce-

scelus committit. Cum enim Patriarcha ille Joannes hominem quendam Græcum rogatu Venetorum Tribunorum excommunicasset, quem Joannes Dux in gratiam Nicephori Imperatoris Episcopum Ullivolensem constituerat, furore accensus vi capto oppido omnes ejus Ecclesiæ Sacerdotes interemit, & Patriarcham è sublimi turri præcipitavit: ob quod enorme facinus hoc anno Concilium Albini habitum est, Præsidente Paulino Patriarcha Aquileiense, & Caroli M. auxilium contra Venetos Imploratum est.

Circa hoc tempus Carolus M. auctore Alcuino viro litteris Clarissimo passim Academias excitavit, inter cæteros Osna-brugensem & Parisiensem, quæ ita inclarescere cœpit, ut Athenæ Parisios migrasse viderentur.

(803.) Irene Augusta moritur in exilio ærumnis confecta. Bardanes quidam cognomine *Turcus*, Præfectus Orientis ab exercitu, invitatus licet, Imperator acclamatur, qui tamen quamprimum deposito hoc titulo, Monasticam vitam elegit, quem nihilominus contra fidem datam Nicephorus luminibus privavit, & Principes viros exercitus eidem adherentes interemit, totumque exercitum exaustravit.

✠(804.)✠ Leo Papa Mantuam atque inde in Galliam proficiscitur ad Carolum Imperatorem, à quo honorificentissimè susceptus, atque post festa Natalitia Domini solemniter & piè transacta cum eodem in Germaniam progressus, cum magna solennitate Cardinalium Episcoporum, Archiepiscoporum, Prælatorum & Magnatum. Multis in locis altaria & templum consecravit, indulgentias impertivit, & speciatim Werdæ S. Svibertum post peractas preces, celebrata jejunia de consensu Cardinalium, cæterorumque Prælatorum solenni ritu inter Sacratissimum missæ officium Sanctorum Confessorum Catalogo adscripsit, pridie Nonas Septembris, quem diem ab incolis annuâ festivitate celebrandum instituit. Quo tempore etiam puer quidam Archiepiscopi Coloniensis aquis submersus, & virtute S. Sviberti in vitam revocatus est.

Mortuus est hoc anno Alcuinus, qui & Albinus dictus cognomento Flavus, Abbas S. Martini Turonensis civitatis à Carolo Magno constitutus, & libris editis celebratissimus.

Mantuæ (ut referunt Annales) aliquid de Sanguine Christi repertum est, eoque non de Sanguine qui Beryti de imagine

gine miraculosa Crucifixi, sed qui de Sacratissimo corpore in monte Calvariaë morientis Christi profuxit, cujus Sanguinis videndi, & quid de eo sentiendum sit, dijudicandi causâ Leo iter Mantuam & inde ad Carolum Magnum suscepit.

✽(805.)✽ Aaron Saracenorum Princeps adversus Nicephorum trecenta armatorum millia eduxit. Quibus territus Imperator pollicitus est illi tributi nomine tricena millia numismatum, & tria millia in Imperatoris, & totidem in filii sui Stauratii caput.

Caganus Rex Avarum sive Hunnorum Christianus nomine Theodorus à Sclavis Behemanis expulsus & Regione sua devastatâ, auxilium à Carolo petiit, & obtinuit misso mox ab Imperatore filio suo Carolo quoque appellato, qui Sclavos vicit & Lichum Ducem eorum in prælio cecidit. Avaribus pacem & Regionis suæ liberam possessionem restituit.

De eodem Carolo meminere Annales, quod cum venaretur apud villam Morsellam ubi Monasterium monialium S. Gudictæ Virginis (cujus reliquiæ ibidem in templo requiescunt) miræ magnitudinis ursus post longam agitationem jam jam capiendus, propero cursu in Ecclesiam irru-

perit, & ad sacras reliquias securus procumbens advenientibus Sanctimonialibus more catulorum blandiri cœperit, ideo ab Imperatore illæsus relictus, & à Sylvestri factus domesticus ab eo tempore non aliter vixerit, quam ab iisdem Sanctimonialibus juberetur, quarum se perpetuo obsequiis mancipavit.

✽(806.)✽ Defuncto Tarasio Constantinopolitano Patriarchæ surrogatur ab Imperatore Nicephorus ex Monasterio assumptus ad sedem, & post ejus consecrationem, Synodus ab Imperatore cogitur, in qua Josephus ille, quem Tarasius damnaverat, quod Pellicem Constantini coronasset, tanquam innocens suis honoribus restitutus est: ideoq; hoc *Concilium adulterantium* à Leone Papa vocatur. Eò quòd collectum fuerit ex Episcopis adulterium Constantini comprobantibus.

Carolus M. in Theodori villa condidit testamentum in quo dividit filijs ditiones suas, Ludovico scilicet Aquitaniam totam & Galliam Lugdunensem & Narbonensem, Pipino Italianam Boiariam, & Alemanniam partem: Carolo verò Majori natu reliquam Galliam & Germaniam, in quo testamento præter alia documenta & monita paterna hæc addit. *Super omnia autem jubemus,*

ipsi tres fratres curam & defensionem Sancti Pa-
 pa simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro
 Carolo (cognomento Martello) & Beata me-
 morie genitore Pipino Rege, & à nobis postea
 suscepta est. Ut eum cum omni adjutorio ab
 hostibus defendere nitantur, & justitiam suam
 quantum ad ipsum pertinet, & ratio postulat,
 habere faciant. Similiter & de cæteris Eccle-
 siis quæ sub illorum fuerint potestate præcipimus,
 ut justitiam suam & honorem habeant. Hoc
 testamentum subscriptum ab optimatibus
 Regni Pontifici transmisit confirmandum;
 eiq; reliquit Imperium disponendum.

✽(807.)✽ Aaron Saracenorum Prin-
 cept in Oriente, dum comparatâ classe
 Rhodum pessundaret, & Myram Lyciæ
 civitatem aggrediens, arcam reliquiarum
 S. Nicolai disjicere conaretur, aliam ejus
 loco suppositam contrivit; qui sic illusus
 dedit nihilominus pœnas pravæ suæ volun-
 tatis; siquidem turbinibus agitata classis,
 magnâ ex parte obruta est, & ipse vix inco-
 lumis evasit, cautior posthac non temera-
 re aut temnere Divos.

Nicephorus filio suo Stauratio dedit
 uxorem Theophoniam cognatam Irenes,
 & viro alteri jam conjugatam: & ut scele-
 ra sceleribus cumularet, ipse duas virgines
 delectas ob formam pulcherrimam deflo-
 ravit,

ravit, sibiq̄ue adjunxit, mulierosus & turpissimus servus voluptatis. Cūq̄ue eum viri magni & ecclesiastici conspirassent, pro Reipublicæ statu restituendo, eorū sanguine civitatē cruentavit, & omnes crudeliter interfecti, exemplo suo docuerunt, magis Deo placere, ut Tyranni patienter tolerentur, quā cum perfidia exterminentur.

Carolus Magnus missā in Corsicam ad Sardiniam classe, Duce Burkardo bis Saracenos profligavit.

✽(808.)✽ Crunus Rex Bulgarorum dolo Sardicam cæpit, multis millibus civium & militum interfectis, adversus quem Imperator procedens, re infectā Constantinopolim revertitur, & urbem illam cruentis cædibus replet, quod populus recentis impositum vectigal ob Sardinix restitutionem recusaret.

Aarone Rege Saracenorum defuncto Mauhmat & Habdalla filii ejus de regno certantes tam Saracenos inter quam Christianos omnia cædibus, rapinis, & incendiis devastant.

Ardulfus Rex Nordhumbrorum à suis regno expulsus operâ Caroli M. & Pontificis Leonis pacificè restituitur.

✽(809.)✽ Celebratur hoc anno Synodus

nodus nicechiana Constantinopoli, convo-
cante Nicephoro Imper. in quâ multi Ca-
nones statuti contra conjugii sanctitatem
& puritatem, & Josephus, nuptiarum Con-
stantini cum pellice Theodote impurus co-
pulator defensus est. Econtra Theodo-
rus Studites & Joseph Archi-Episcopus
Thessalonicensis, frater Studitæ, & S. Pla-
to cum suis monachis, quia cum Nicepho-
ro Patriarcha Constantinop. publicè com-
municare detrectabant, tanquam schisma-
tici & hæretici non in Oriente, sed etiam
Romæ infamati sunt, atque hoc prætextu
in exilium pulsi, qui ad Pontificem quidem
confugerunt, sed innocentibus sub Impe-
ratore tam scelerato & crudeli remedium
afferri non potuit: Namque etiam hoc an-
no novis exactionibus & suppliciis Con-
stantinopolim & totum Imperium, & ma-
ximè loca sacra tantum non perdidit.

✽(810.)✽ Nicephorus fit manifestus
hostis Ecclesiæ & pietatis; fautorem nam-
que Manichæorum se palam ostendit, im-
probans eleemosynam, & irridens Christi-
anos, qui proximum diligenter, impro-
bans etiam vasa aurea & argentea in eccle-
siis: adituris Episcopum & monasteria,
gravissimum tributum injungens, tantum
ad subditos ab iis ineundis absterrendos.

Unde fulti ab Imperatore Manichæi capiti
iterum extulerunt, mox in duas sectas di-
visi in *Beantitas* & *Sergiotas*, aliter à *Sar-
s*
sive *Instabiles* dictos.

Pipinus adversus Venetos infelicem ex-
peditionem suscipit, cum enim Methu-
maucū occupasset, atque incendisset, alia
autem Insulas, in quas confugerant Vene-
ti, imposito milite ratibus tentaret, incur-
rerunt illi in vadosa loca & uliginosa, in
quibus à peritis locorum Venetis obtrun-
cati sunt. Unde tantum dolorem Pipinus
hausit, ut paucis post diebus obiêrit, Ve-
ronæ sepultus. Veneti exinde caput su-
um extulerunt, immutatoque statu dein-
ceps ad eam pervenere potentiam, ut pau-
cos sibi bellis terrestribus pares, navalibus
nullos haberent.



DECAS II.

✻ *Ab anno 810. ad annum 820.* ✻

811. **L**Eoni Prætori Armenicarum infe-
renti militare donativum, quod e-
rat sedecim talentorum & librarum mille
trecentorum, illud cum ingenti multitu-
dine captivorum abripuerunt. Quare Ni-
cepho-

cephorus Imp. adversus Bulgaros processurus, nova tributa Ecclesiis, monasteriis, & civibus imposuit, atq; octo annorum redhibitiones a Principū domibus exegit, quā de re cū omnes conquererentur idque a Patricio quodam Theodosio nomine Nicephoro relatum esset, respondit: *Si Deus obduravit cor meum uti Pharaonis, quid boni erit his, qui sub manu mea sunt? Theodosi noli alia expectare, præter ea, quæ à te conspiciuntur.* Quibus verbis non tantum hæreticum, sed etiam Atheum se esse ostendit. Ingressus posthac in Bulgariam, & factus aliquot præliis insolentior, pacem petenti Crunnio denegavit, multaque in suos & hostes crudeliter gessit. Bulgarus autem animos ex desperatione colligens, in eum irruit, & viis interclusis cepit ac interfecit, cum multis Patriciis ac Ducibus, & universo fermè exercitu: ejus verò caput diebus multis ostentatum, & postea in poculum conversum, argento exornatum, ut ex eo Principes Bulgari biberent. Ex ejus exercitu milites aliquot capti, cū fidem ejurare nolissent, à Bulgariis martyrio affecti sunt. Stauratius autem filius, multis debilitatus vulneribus, ægrè relatus in urbem, dum novas cædes cogitat, Imperio exutus est, ejusque locò omni-

omnium consensu Michaël Curopalates, cognomento Rhancabenus, Nicephori gener, præstito prius de fide servanda juramento Imperator acclamatus est. Mox ejus uxor Procopia dicta Augusta, nec ita multò post Theophilactus ejus filius. Sic pax reddita Ecclesiæ, omnibus iterum reconciliatis, Josepho Oecono iterum ejecto, adeò, ut cum scelerato Imperatore omnes Orientalis Imperii calamitates defuisse viderentur.

Migravit ex hac vita Carolus filius nativissimus Caroli Imperatoris. Extincta est pariter filia ejusdem Caroli defuncti Rothrudis. Moriturus autem Carolus, Italiæ præfecit Bernardum filium Pipini, & reliquum Imperii reliquit Ludovico, quem pietas tantæ dignitatî reservavit, multis tamen casibus adversis exagitandum.

✽(812.)✽ Michaël Imperator Constantinopolim sæcibus hæreticis expurgat, decreta & ferrum contra Manichæos, Iconoclastas, & aliam quarumcunq; hæreseon sparfarum colluviem extendens, ex quibus aliquot cæsi, alii auffugere.

Sergius quoque Manichæus, dum asseribus faciendis intentus fuisset, ascia à quodam ex ejus manibus extorta & in caput
impa-

impactâ, suorum & alienorum scelerum
pœnas persoluturus interiit.

Palæstina à Saracenis adhuc bellis inte-
stinis a se invicem differentibus maximis
damnis afficitur.

Carolus M. & Michaël Imperator mu-
tuis legationibus & muneribus se invicem
honorant.

Agitatur Constantinopoli quæstio de
transfugis Regi Bulgaro reddendis, quos
reddi volebat Theodorus Studites aliique
viri boni, volebat Nicephorus Patriarcha
& id è re publica fore judicabat Imperator,
prævaluit tandem sententia negans & pax
cum Bulgaris intercidit, unde multa mala
Imperio contigerunt per Maximum quen-
dam cometa prænunciata.

✽(813.)✽ Michaël Imper. Victus &
Bulgaris fugit Constantinopolim, & Im-
perium transfert in Leonem, qui in spe-
ciem aliquamdiu restitit, (creditur tamen
rectius illius proditione exercitum prope
Hadrianopolim prædictam stragem pas-
sum esse, ut diffamato Michaële tanquam
ignavo, ipse Imperator acclamaretur) à
Nicephoro tandem persuasus suscipit Im-
perii insignia purpuram calceos coccineos
& diadema, quæ Michaël haud invitus &
ultra eidem tanquam Successori suo transf-
misit

misit, & ipse una cum uxore ac liberis detonsis capillis monasticum habitum induerunt Imperio & omni juri suo renunciantes, Nicephorus Patriarcha cum Leone coronaret, videbatur sibi quamdiu manibus coronam tenuit spinis acutis transfigi, in fausto scilicet omine, calamitatum quæ eventuræ essent prænuncio. Iconoclastæ quoque ad Leonis acclamationem, a militibus & populo propensius eliciendam, dolos & mendacia sua contulerunt, passim spargentes, Constantinum Copronymum visum fuisse à mortuis resurgentem, & candido equo subvectum ad Bulgaros debellandos, ad cujus sepulchrum etiam preces fundebant, opem ejus adversus Imperii hostes implorantes, atque his colubrinis viis Leoni ejusdem hæresis conforti viam patefacere perfidi illi conati sunt.

Crunnus Rex Bulgarorum Hadriano-
poli captâ omnes Christianos captivos sa-
culares & Ecclesiasticos monachos, viros
& fœminas, nullo discrimine congregavit
& quotquot Christo renunciare detrectas-
sent eosdem diversis suppliciis affectos
crudeliter interfecit, cum suo Episcopo
Manuele quem amputatis manibus & eru-
tis oculis gladio Medium dividi jussit.

Sed

Sed & Leo Armenus jam Imperator sævitiam suam primo exercuit in Michaële ejusq; uxore & liberis: quanquam enim pacificè in Monasterio Constantinopoli viverent, jussit tamen in exilium in Insulam Protam transportari & Theophylactum natu majorem filium & Ignatium Castrari jussit: & Ignatius quidem postea Constantinopolitanus Antistes factus pietate & miraculis magis claruit, quam fortè fecisset in purpura.

Carolus Magnus cum se morti obnoxium & propinquum adverteret, filium suum Ludovicum, qui solus filiorum Hildegardis supererat, habito conventu generali omnium consensu atque Consilio, simul Imperatorem & Regem Francorum coronavit, ipse verò reliquum vitæ suæ tempus totum orationibus eleemosynis, aliarumque virtutum exercitio consecravit: habita posthæc diversa concilia per Dioceses in quibus pro disciplina Ecclesiastica & contra tollendos varios abusus multa piè & laudabiliter statuta sunt.

✽(814.)✽ Leo Armenus Imperator stabilito jam satis Imperio quod tyrannicè occupaverat, publicè Iconoclastam se ostendit, & ut Catholicos in eandem hæresin pertraheret Nicephorum & Theodorum

rum

rum Studitam & omnes Monasteriorum Præfectos, & Episcopos in comitatu gentes ad se in Palatium convocavit & coram se de Imaginibus cum Iconoclastis disputari iussit. Quod cum omnes negassent, afferentes, nefas esse in dubium quacunque ratione vocare rem in universali Concilio decisam, omnibus domum suam remissum Silentium imposuit. Paruere plerique inter cæteros qui minus tacere debuissent Nicephorus, sed Theodorus Studites asseruit hoc silentium impium esse, & ad se cum de cultu imaginum publice loquendum, Nicephorum quoque rupto silentio induxit, qui statim in exilium pulsus est in Insulam Proconnesum: magis exilio suo quam dignitate honoratus. Quo tempore accidit, ut cum Theophanes Abbas monasterii Agræ esset in quodam prædio, divino quodam instinctu sentiret, Nicephorum navigio prætervehi, ideoque suffraganeis eum venerationis ergo profectus fuerit. Sed & Nicephorus eodem momento elevatis manibus flexisque genibus, è navigio eum salutavit, cum neuter alterum corporeis oculis videret.

In locum autem Nicephori intrusus est Theodotus quidam Melissenus *Cassiteris* dictus, id est *Stanneus*, homo turpissimus & volu-

voluptate contaminatissimus, qui statim convocatâ Synodo Copronymi pseudo-Concilium confirmavit, & septimam Synodum damnavit: Cui cum multi Episcopi & Archimandritæ obsisterent, in exilium eiectioni sunt.

Obiit Carolus Magnus Aquisgrani ex pleurisi, ætatis suæ anno 72. Imperii 14. Vir de Ecclesiâ, si quisquam alius, optimè meritus, & in quo nulla virtus præter caritatem defuit, cujus defectum magnâ corporis afflictatione compensavit. Relatus est à Paschali post annos 166. sub Friderico II. in numerum Sanctorum, sed quòd is legitimus Pontifex non esset, ejus Apotheosis ab Ecclesia Romana non est approbata, permessa tamen videtur fuisse in quibusdam Galliæ Ecclesiis, quandoquidem prohibita non est, & Pontificum silentium videtur his Ecclesiis tacita quædam approbatio.

Carolo successit Ludovicus Pius, qui omnia mandata patris statim executus, missis legationibus ad Principes, mortem parentis significavit, & fideles æquè ac idololatræ, & Saraceni omnes ut publicum totius orbis terrarum Patrem Carolum luxerunt.

✽(815.)✽ Defuncto Carolo tanquam
Pon-

Pontificis tutore ac patre jam mortuo, ad
versus Leonem Papam facinorosi quidam
ex Romanis iterum conspirarunt, quæ ma-
chinationes cum erupissent, legibus adve-
sus complices actum est. Et Ludovicus
Imper. misso Bernardo, qui in regnum Ita-
liæ pro patre suo Pipino successerat, sedes
Romanam compositis turbis protexit, &
ab injuriis vindicavit.

In Oriente Leo Imperator vulpinâ frau-
de obtegens tantisper ferociam suam ab-
chindritas ab exilio revocat, & promissa
omnia omnibus libertate, cujuscunque ve-
lent religionis, si modò semel cum Theo-
doto publicâ cõmunionē uterentur, mul-
tos simplices induxit ad communicandum
cum turpissimo hæretico, quod ubi Theo-
dorus Studita in exilio constitutus, factum
esse intellexisset severè arguit, & ab erro-
re lapsos revocavit. Ideo ab Imperatore
virgis cædi, & in aliud remotius exilium
transportari jussus est. Qui verò ad ido-
peris delectus est Nicetas, quidam Alexi-
filius, ut vidit Theodori corpus alacritate
ad sustinenda verbera se componentis, &
tate & jejuniis ad summam maciem reda-
ctum, vixque ossibus hærentem virum, non
solum non attingere ausus est, sed & pã-
fraude, quâ Imperatoris jussum explere a-

fociis existimaretur (solus enim in carcerem ingressus erat ob viri, ut aiebat, reverentiam) ovis pellem recens detractam accipiens, super eam verbera distinxit, & ut guttas etiam ex plagarum cruore suffulas ostendere posset, ipse sibi sanguinem ex brachio lanceolæ ictu elicuit, eoque flagrum imbuit.

Hispani Saracenorum jugo valde oppressi confugiunt ad Francos, à quibus Septimaniam Provinciam pro suo, usu & vita sustentanda colendam accipiunt.

(816.) In Oriente Leo Imperator Iconoclasta sævit multipliciter contra Orthodoxos Confessores: quos inter Theodorus Studita quòd in carcere Clericum quendam hæreticum Iconoclastam convertisset, acerrimè virgis cæsus & fœdissimo carceri mancipatus, & dirâ fame cruciatus longo tempore solâ Eucharistiâ (cujus particulas semper habere secum more Orientalium consueverat) vitam protraxit: Scripsitque ad Confessores Epistolas quaquà versum, quot verba tot fulmina contra Hagiomachos & imaginum oppugnatores continentes. Ex his Epistolis unam, pia quædam fœmina Christiana sævissimo & nullis vel aquis vel machinis restinguendo incendio injecit, & in momento extinxit.

Mi-

Migravit ex hac vita Leo Papa, multis adversus Ecclesiam motis tempestatibus agitatus & naviculæ Petri peritissimus gubernator inventus & probatus; qui ad implorandum divinum auxilium, & tot tantisque motibus fortiter resistendum septies quotidie vel etiam novies missarum solennia celebravit, ejus in locum Stephanus V. vel ut alii numerant IV. creatus est, qui in Gallias quamprimum profectus Ludovicum Imperatorem coronavit.

✽(817.)✽ Stephanus ex Gallia Romanam redux moritur in via & post obitum miraculis clarus, ejus in locum surrogatur Paschalis Sanctitate quoque & miraculis celebris, præfectus in monasterio S. Stephani adeoque ab omnibus expetitus & probatus.

Celebratur Concilium Aquisgrani in quo omnia quæcunq; donata fuerunt Romanæ Ecclesiæ à Pipino, Carolo, & Ludovico, confirmata sunt, prout hæc donatio inserta habetur in Jure Canonico dist. 63. Cap. *Ego Ludovicus*: atque his donationibus Pontifices Romani deinceps Constantinopolitanos Imperatores non agnovère Dominos suos, sed errantes graviter corripuère, & eorum decreta se in medio foro Romano combusturos interminati sunt.

sunt, neq; sua diplomata Imperatorum annis sed Pontificatus sui posthac notare consueverunt.

Bernardus Rex Italiae contra Ludovicum rebellat, sed Imperatoris cum valido exercitu adventu perterritus, ad ejus se pedes pro venia abjecit: verum habitam quaestione tam ipse quam conjurationis complices oculis orbati sunt, Episcopi quoque convicti sedibus suis depositi, in monasteria intrusi sunt. Cujus tamen severitatis postea Ludovicum poenituit.

Paschalis Papa haereticos legatos a Theodoro missos rejicit: contra legatos missos a Theodoro Studita, & Catholicis benigne suscipit.

✽(818.)✽ In Oriente ad rugitum Leonis Imperatoris persecutio augetur, sed & Confessores, missa legatione a Paschali Pontifice multi ad meliorem vitae frugem revertuntur. Romae quoque extructum novum monasterium Graecorum, eò tanquam ad asylum cofugientibus magnam liberalitate & pietate apertum est.

✽(819.)✽ Ludovicus frequentibus Synodis in Occidente prospicit Ecclesiae, quae in Oriente dirissimè agitur: cum enim Leo Imp. scriptas a Theodoro Studita litteras contra Iconoclastam Imperatorem
ab

ab hæreticis traditam accepisset in manus suas, iussit ad acriora tormenta revocari. Igitur à Magistro militum in Oriente verberibus cæsus crudeliter, & Smyrnæ perductus, ubi carceri iterum deterrime injectus est, & corpus ejus exsuccum & ossibus inhærens, centenis per vices ictibus dilacerari consuevit.

✽(820.)✽ Corpus S. Marci Evangelistæ per mercatores Venetos Alexandria Venetias hoc anno translatum est, eique magna ecclesia condita, in qua sacrum pignus ita defossus est, ut quo loco lateret, penitus ignoraretur, ne Franci id raperent.

Leo Imper. in ipsa nocte Natalis Domini, dum sacro officio interesset, in ecclesia palatii a conjuratorum gladiis appetitus ad sacrum altare recurrens diu confodientium ictus cruce avertit, donec vulneribus undique confossus succubuit, interfectus à fautoribus Michaëlis Balbi Ducis, qui multa in Imperatorem atrocità effutire ausus, igni adjudicatus erat, post festa Natalitia comburendus. Et hic statim post necem Leonis compedibus adhuc onustus (siquidem vinculorum & compedum claves ipse Leo asservabat) è carcere in solio Imperatorio collocatus est, solutisq; malis leo compedibus, ut erat sordibus conspur-

catus, impudenter ad magnum S. Sophiæ templum progrediens, manu Patriarchæ coronatus, & ab universo populo Imperator salutatus est. Fuit autem Michaël colivies omnis impietatis, natione Phryx, infectus novâ hæresi quæ Baptismum admittens & respuens circumcissionem, de cætero Mosaicam legem cum Judæis sequebatur. Statim autem Leonis filios relegavit in Insulam, jussitque castrari, quorum unus in sectione mutus effectus, & alter mortuus, mater autem in Monasterio inclusa, ac tota familia impiissimi Leonis dissipata est.



DECAS III.

✽ Ab anno Christi 820 ad 830. ✽

821. **R**omæ invenitur Corpus S. Cæciliæ, & a Paschali honorificentissime transfertur, una cum corpore S. Valeriani ejus Sponsi.

Michaël Imperator, (quanquam impius) ab exilio tamen revocat Confessores, & cum iis Theodorum Studitam, imagines quoque restitui pristino cultui extra Constantinopolim permittit, prohibet autem id fieri in urbe sua, quia ipse hactenus nullam coluisset.

O

Hab.

Habdalarraghman Rex Saracenorum
Cordubæ figens fedem suam S. Adolphum
& Joannem Martyrio afficit.

Ludovicus Imperator Fortunatum Gra-
denfem Patriarcham accusatum læsæ Ma-
jestatis ad Pontificem judicandum mittit.

✱(822.)✱ Ludovicus Pius hoc anno
convocatis Attiniacum Præsulibus & Ab-
batibus de morte Bernardi & aliis peccatis
in fratres commissis publicam egit pœni-
tentiam in jejuniis, ciliciis & orationibus.

Hoc anno Tyrannus quidam Thomas
nomine Constantinopolim obsedit. Is Se-
natoris servus, cum Domini thorum vi-
tiâisset, pœnæ metu fugerat ad Saracenos
apud quos annis 25. ejurato Christo man-
sit. At sub Leone Armeno e mentitus se
Constantinum Irenes filium collectâ per-
ditorum manu invasit Armeniam, & ali-
quot provincias occupavit, sub Michaeli
Balbo auctis copiis etiam Constantino-
polim terrâ marique obsedit. Sed adfuit
sponte auxiliator barbarus Rex Bulgaro-
rum, a quo Thomas cum exercitu deletus
& deditus ab Hadrianopolitanis, manibus
pedibusque truncatus lentâ carnificinâ sub-
latus est, Unâ cum filio ejus adoptivo Ana-
stasio excucullato monacho, quem Imperio
Successorem destinavit.

Saraceni Hispanienses occupavere Cre-
tam Insulam, & ex Monachorum Concilio,
ut hanc fervarent, in loco *Candare* dicto,
urbem validam munivere, unde deinceps
Insula dicta *Candax* & *Candia*, nomen an-
tiquum cum libertate perdidit.

✠(823.)✠ Lotharius Ludovici filius
Romæ coronatur à Paschali, ac statim in
Gallias redit. Post quæ, cum Theodorus
S. R. E. Primicerius & Leo luminibus pri-
vati & decollati essent in Episcopio Late-
ranensi, ferreturque id consensu Paschalis
factum ob eorum fidem erga Lotharium,
Missi à Ludovico Romam Legati, quibus
ea de re Pontifex juramento se purgavit.

Michaël hoc anno depositâ vulpinâ pel-
le ostendit se quis esset, nempe Judæus,
impius, osor imaginum & hostis litteratu-
ræ atque omnium Imperatorum sceleratif-
simus. Qui resurrectionem mortuorum
non credebat, Prophetas irridebat, dæmo-
nes esse negabat, scortationem peccatum
non esse judicabat, Judam inter beatos ad-
numerabat, pueros nullis litteris imbui
permittebat, ne ipsius ignorantiam argue-
rent, qui difficillimè legebat & scribebat.

Basilus filius Leonis, Armeni in exec-
tione sua mutus redditus ad imaginem S.
Gregorii Nazianzeni linguæ usum recepit,

& simul ad verā fidem cum matre sua & ple-
risque ab Iconoclastarum hæresi revoca-
tus, graviter allaborante Theodoro Stu-
dita, qui ideo cum aliis quibusdam iterum
relegatus est.

✱(824.)✱ Defuncto Paschali hoc an-
no successit Eugenijs II. Vir piissimus
& doctissimus, non tamen sine competitoribus,
ad quos continendos, & schisma im-
pediendum necesse erat Lotharium venire
Romam & Auctoritatem suam interpo-
nere.

Michaël filium suum creat Augustum, &
mittit legationem ad Ludovicum & ad Pon-
tificem pacis conciliandæ gratiā: inter ca-
etera dona Michaël Imperator misit ad Lu-
dovicum libros Dionysii Areopagitæ quos
jussu Ludovici Hilduinus Abbas S. Dio-
nysii latinè reddidit.

✱(825.)✱ Cum Michaël multa in suis
Epistolis adversus sacras imagines debla-
terasset, Ludovicus Pius obtinuit ab Eu-
genio II. ut Synodum habere liceret Pari-
sis de ea re discutienda: cujus quidem
Synodi collationes diu latuerunt, quia
collatores Michaëli aliquid indulgere vo-
lentes omnia in ea perperam egerunt, un-
de nec à Pontifice approbata, sed op-
pressa potius latuerunt. Proditæ sunt tan-
dem

dem acta illa anno 1596. Francofordiæ à Novatoribus; de viris porrò qui in eo Concilio errârunt, dicendum est, bonos nihilominus extitisse, quorum errores tantum iudicij & non voluntatis fuerint: quique Deo semper atq; Ecclesiæ sese submiserint: quanquam indiscreto suo zelo ipsum propemodum Imperatorem Ludovicum Pium in discrimen adduxissent, à quo litteras ad Pontificem mitti petiêrunt, quibus Pontifex induceretur ad cultum imaginum aliquo modo sub bono pacis publicæ conciliandæ damnandum: quæ scintilla imprudenter & temerè jacta in Ecclesiam ingens incendium excitare potuisset. Quod Deus speciali beneficio avertere voluit.

(826.) Mortuus est hoc anno Magnus ille Theodorus Studita, Confessione & tormentis clarissimus; Corpus ejus post annos unde viginti integrum repertum & miro fragrans odore Constantinopolim translatum est à Methodio Patriarcha curante Theodorâ Augustâ.

Michaël Imper. mittit exercitum adversus Saracenos in Insulam Cretam, sed magna totius exercitus internecone repellitur; qui postmodum ut scelera sceleribus adderet, defunctâ Coniuge desponsatam

O 3

Chri-

Christo Virginem Monialem, Constantinianam ut ferebatur Imperatori filiam nomine Euphrosynam uxorem duxit Augustamque nuncupavit: quod scelus mox ingentibus malis punitum. Saracenis enim Creta Insula remansit & Dalmatia insuper ab Orientali Imperio prorsus defecit.

✱ (827.) ✱ Euphemius Dux in Sicilia cum & ipse Michaëlem Imperatorem imitatus, virginem Deo dicatam invitam rapuisset, ob querelas tamen fratrum virginis, ejusdem Imperatoris jussu quæsitus, rebellans fugit in Africam, ut cum Saracenis inito pacto ab eis nomen Imperatoris consecutus est, eosque in Siciliam intulit, quæ potiti, Calabriam insuper, & plerasque Italix partes occupavere.

Eugenius Papa moritur, cui totius Cleri, Senatûs, populi que consensu Valentinus natione Romanus suffectus est: qui cum dies quadraginta sedisset (alii dicunt tantum mensem) præmaturâ morte sublatus est, vir omni virtute excultissimus. Post quem pari consensu electus est Gregorius IV. vir quoque pietate, misericordiâ, & virtutibus insignis, & litteris divinis & humanis apprimè eruditus,

✱ (828.) ✱ Nicephorus Constantinopolitanus Patriarcha Confessor mortuus est,

est, postquam egisset in exilio annum decimum quartum. Ejus corpus sub Michaële tertio & Theodorâ Augustis integrum repertum est, & à Methodio ejusdem civitatis Patriarcha solenni translatione, cui etiam Imperator interfuit, facem manu tenens, delatum est Constantinopolim, eodem die, quo pulsus ille fuit in exilium.

In Occidente varia mala, frugum penuria, Saracenorum excursiones, Bulgarorum infestationes, & domesticæ dissensiones passim grassata sunt, quibus ut medellam Ludovicus Pius Imperator adhiberet, varia concilia ad correctionem morum per Diœceses instituit.

✽(829.)✽ Michaël Balbus moritur morbo disenterix, maledictionibus omnium, pro panegyricis, infamatus: post ejus mortem Theophilus ipse filius Imperium excepit, qui statim omnes, qui cum patre in Leonis Armeni necem conspirarunt, parricidarum pœnis affici jussit, atque Euphrosynam novercam, quam Michaël è monasterio extractam, uxorem duxerat, ex aulâ pulsam in idem monasterium redire coëgit. Sed (uti uti judicare licet) hæc fuit æquitas hominis Imperii sui, quam religionis appetentioris.

✽(830.)✽ Theophilus Imp. oppug-

Q 40

nat imagines, eorumque cultores vinculis
mancipat, tormentis excruciat, & quibus-
cunque modis potest exagitat.

Conspiratio in Ludovicum Pium à filiis
principibus & multis Episcopis erupit, cui
causam dedit Bernardus Hispanus homo
charus Ludovico, ac cubiculi præfectus,
quem admisceri Reginæ Judithæ, multi
querebantur; dolebant quoque filii Ludo-
vici. natos ex Juditha Carolum & Rudol-
phum à patre charius diligi. Itaque Pi-
pinus parato exercitu eum Bernardum di-
mittere compulit, & Juditham monasterio
Laudunensi S. Medardi inclusit, atque in-
de retractam jurare coëgit, se marito per-
suasuram, ut ipse quoque monachus fieret,
quod cum præstare conata esset, accepto
velo in monasterium sanctæ Radegundis
detrusa est: Ludovicus autem sibi spatium
fieri ad deliberandum postulavit, rediit in-
terim ex Italiæ Lotharius, & facta quidem
hactenus probavit, ultra tamen patrem ar-
geri noluit. Quare Neomagi coacto con-
ventu (quo venere pater & filii) Lotha-
rius impulsus adhortatione patrii, ei se ob-
sequentem præbuit: atque ita restitutus
Imperio Ludovicus: qui tamen, cum more
consueto lenius in conjurantes egit, & mi-
tioribus pœnis castigavit, malevolentiam
non repressit, sed audaciam auxit.

DE.



DECAS IV.

✽ Ab anno Christi 830. ad annum 840. ✽

831. **T**heodora Augusta & Theodiste
 ✽ mater ejus apud Theophilum Im-
 per. accusantur de cultu imaginum quem
 tamen amor erga uxorem continuit, ut
 cum hostis esset imaginum infensissimus,
 non sæviret.

S. Bartholomæi corpus olim in Liparim
 delatum hoc anno infula a Saracenis deva-
 statâ, disjectum est, ejusque ossa per a-
 grum sparsa: a quodam monacho ipsius
 Sancti monitu collecta, & Beneventum re-
 ligiosè translata sunt.

✽ (832.) ✽ Recruduit persecutio san-
 ctarum Imaginum. Inter alios fortius cer-
 tamen sustinuit, monachus quidam Pictor
 Lazarus dictus, cui ardentibus laminis u-
 traque manus iniusta fuit, quò is ab imagi-
 nibus pingendis non desisteret. Sed neq;
 sic impediri potuit, quin sanctos penicil-
 lo suo honoraret, præcipuè autem S. Jo-
 annis præcursoris imaginem omni quâ po-
 tuit industriâ elaboravit, quæ deinde tum
 depicti, tum pingentis sanctitate, miracu-
 lis illustris evasit.

O 5

Pipi-

Pipinus Ludovici Imper. filius iterum propter turbas adversus patrem commotus in carcerem coniectus est, & prope fuit, ut Aquitanix regno in pœnam privaretur.

✽(833)✽ Filii Ludovici Imper. Lotharius, Pipinus, & Ludovicus conspiratione inita adversus patrem, quod is regnum Aquitanix in Carolum Judithæ filium transfulisset, exercitum parant, & Imperator à suis quoque militibus: qui ad filios defecerant, relictus, eorum se potestati dedere coactus est. Inde Compendium ductus gladium deponere, sumptoque cicilicio, se malè administrati regni reum confiteri, probrosè compulsus est. Imperium autem Lotharius suscepit. Præcipuus harum turbarum incentor fuit Ebbo Episcopus Rhemensis, aliquot aliis Episcopis & leum fomitemq; subministrantibus. Quod enorme facinus non tantum Gregorius Pontifex, sed omnes æqui & honesti amantes Franci detestati sunt, & ad restituendum Imperatorem vires conjunxerunt: quanquam Gregorius initio turbarum ipse quoque Ludovico suspectus fuerit, quasi plus æquò liberis addictus esset.

✽(834.)✽ Cùm undique exercitus constitati essent pro Ludovico Imperatore restitu-

tuen-

tuendo, Lotharius causæ suæ & viribus diffidens, Viennam se contulit, patre in monasterio S. Dionysii Parisiis relicto, excusans se, quòd auctoribus & promotoribus Episcopis omnia hæc a liberis peracta fuissent. Ludovicus autem in ecclesia S. Dionysii per manus Episcoporum (neque enim Imperator, quanquam injustè depositus, id peragi volebat) gladio accinctus est & in Imperium restitutus, ingenti omnium populorum plausu & lætitiâ, tum filios suos & rebelles indulgentior Ludovicus in gratiam recepit. Lotharius autem patris indulgentiâ efferatior factus expugnata Cabillonensi civitate, cuncta sacra & profana ferro & igne absumpsit, & omnes quotquot patri studuissent, immaniter occidit. Sororem quoque Bernardi sanctimonialem dolio inclusam, in Ararim fluvium projecit. Hæc tamen nefanda detestatus Imperator cum reliquis filiis adversus Lotharium castra movit, coëgitq; supplicem ad Patrem procidere, veniamque deprecari, quam & sibi & sectatoribus suis impetravit. Recepit quoque tunc Ludovicus uxorem suam Juditham, quam privigni in Italiam relegaverant, & omnes turbæ compositæ majore Imperatoris utilitate quam gloriâ.

Theophilus à Saracenis cum exercitu suo victus & propè captus est, ideo vehementer iratus, & stragis suæ causam in idolorum (ut ipse sacras imagines vocabat) cultum coniectans, S. Methodium quem secum duxerat in ea expeditione, quod in precibus suis tantum damnum non inhibuisset, atrocissimis verberibus cæsum cum duobus latronibus in sepulchro includit, in quo eis tantum à piscatore quodam panis sufficiebatur, quantum ad mortem tantum arcendam satis esset, ubi ut aliqui scribunt ad mortem usque tyranni detentus fuit.

✽(835.)✽ In Theodori villa habito Conventu Ebbo Rhemensis Episcopus, quod inceptor fuisset turbarum, & conjunctionis adversus Ludovicum Imperatorem complex culpam suam publicè confessus, seipsum Episcopatu abdicavit. Cæteris data venia, qui necessitate quadam compulsos se id fecisse agebant. Abbas autem Floriacensis in carcere ob eandem causam detentus, die Palmarum versum illum (erat enim poëta vendibilis) scriptum à se *Gloria laus & honor tibi sit Rex Christe Redemptor* cum solenni processione prætereunti Imperatori occinuit: quo delectatus Ludovicus eum solvi iussit, & receptum in gratiam aliquandò post Aurelianensi sedi præfecit.

Theo.

Theodoro Constantinopolitano Episc.
surrogatur Joannes VI. Pædagogus Theo-
phili, homo sceleratissimus, libidinosus &
magus omnibus criminibus coinquinatus.

Theophanes ac Theodorus fratres duo
ac Palæstini monachi & quod cultores essent
imaginum, diris verberibus laniati sunt,
eorumque frontibus duodecim versus
jambici inscripti, quibus causa promeriti
supplicii (nempe imaginum Sanctarum
cultus) exarata erat, ut sic publicè con-
fessionem facerent omnibus tum suæ pie-
tatis, tum exercitæ ab infano tyranno
crudelitatis.

✽(836.)✽ Lotharius Italicæ Rex Gre-
gorio Papæ infensus contra Romanos ar-
ma movit, sed à Ludovico parente abster-
ritus conquievit, pro eo autem quod Lu-
dovicus propugnaret Ecclesiam, Deus
pugnavit pro Ludovico, deditque victo-
riam contra Nortmannos in Frisiam ir-
rumpentes, Britonesq; tumultuantes, quos
nullo negotio vicit & compescuit. Lues
verò tunc grassata Principes persecutionis
adversus Imperatorem nuper commotæ
extinxit. Quare ut pro beneficiis sibi col-
latis gratum se Deo præberet Imperator
Synodos cogi jussit quibus disquisitum &
ordinatum est, quidquid ad Dei Sancto-
rum-

rum-

rumque ejus honorem & Ecclesiæ emolumentum conducere videbatur.

✽(837.)✽ Ludovicus Imperator ad mortem se parat viso cometâ, ac filium Carolum ex Juditha natum Regem Neustriæ coronat, defuncto alio ejusdem nominis filio.

✽(838.)✽ Ludovicus Imperator partitur inter filios ditiones suas, Pipino autem demortuo, Aquitaniam Carolo tribuit, partitoque inter Lotharium & Carolum Imperio Boariam Ludovico assignat. Hinc ortæ discordiæ, Ludovico reclamante, & multis pro Pipino puero Pipini filio pugnantibus, qui Paternâ Hæreditate fraudatus videbatur. Itaque aliæ atque aliæ factæ sunt divisiones, Ludovico magis pio quam constante.

Celebre hoc anno fuit Friderici Trajectensis Episcopus Martyrium, insidiis ut ferunt, Judithæ sublati, quòd sit illicitum propter consanguinitatem Judithæ cum Imperatore conjugium reprehendisset, sed hæc causa necis non approbatur Baronio. Floruit quoque hoc tempore Rhabanus Fuldensis Abbas, Lupus Rhabani discipulus Monachus Benedicti à Juditha in aulam vocatus, & Abbas creatus Cænobii Bethleemitici seu Ferrariensis in agro Senonensi;

nensi: Omnes hi magni eruditione & pietate viri Pio Imperatori in amoribus fuere.

(839.) Ludovicus Imperator in filium Ludovicum rebellantem movet, & ad obsequium vi & armis compellit. Sedat quoque motus in Aquitania propter Pipinam Juniorem præteritum in Regnorum exortos divisione Vir ad sedandos quam ad impediendos civiles motus aptior.

(840.) Ludovicus filius, bello in Germania concitato, iterum turbat Ludovicum Imperatorem & Patrem suum, quem hic incommodâ tempestate persecutus est: undè in morbum incidit, eoq̄ue invalescente, in Insulam quandam prope Moguntiam deportari voluit, ubi peccata sua confessus per dies quadraginta cibum tantummodo sumpsit Dominicum Corpus, laudans justitiam Dei, ac dicens: *Iustus es Domine, at quia tempus quadragesimæ non jejunans exegi, nunc saltem coactus idem jejunium tibi exolvam.* Postea distributis thesauris suis Ecclesiis, pauperibus, & filiis, sed & veniâ delictorum Ludovico filio absenti concessâ, ligno S. Crucis pectus suam muniens in ipso mortis articulo apparentes sibi dæmones fugavit, & elevatis ad Deum oculis lætus emigravit, duodecimo Calendas

molu-
tor ad
filium
Neu-
in no-
r par-
no au-
lo tri-
Caro-
ignat.
aman-
i filio
ditate
atque
magis
Tra-
liis ut
citum
cum
et, sed
onio.
panus
cipu-
ulam
Beth-
Geno-
nensi:

das Julii, anno ætatis 64. Imperii 27. cuius
 Corpus frater ipsius Drogo Metensis Epi-
 scopus, Caroli Magni filius naturalis, maxi-
 mâ Pompâ Metis sepultum est. Successit
 ei in Imperium Lotharius ejus filius, qui
 Monarchiæ præcupidus, mox adversus
 fratres bella movit, multum illis atque sibi
 laboris, & plus molestiæ subditis afferens.



DECAS V.

✻ *Ab anno Christi 840. ad 850.* ✻

841. **T**heophili mors brevi secutura. *dis-*
 ✻ **T**vinitus revelatur S. Joannicio A-
 nachoretæ, & ab anu quadam Agarena
 fatidica eidem Theophilo curiosius inve-
 stiganti futura prædicitur successurum post
 ipsum in Imperium filium, a quo Imagines
 pristino honori restituendæ sint. Post fi-
 lium verò diutius regnaturum Martinia-
 riorum genus. Quare Theophilus Mar-
 tinatium quendam virum sibi dilectum,
 Monasterio intrusit, filios autem suos hor-
 rendis jurejurandis obstrinxit, ne imagi-
 gines restitui paterentur. Cum verò ipse
 posthæc adversus Saracenos processisset,
 Persarum proditione ab illis victus, vix fu-
 gâ salvus evasit, relictis post se captivis
 mul-

multis proceribus, qui Martyrium à Sara-
cenis consecuti sunt; quibus cladibus ipse
mærore confectus in disenterix morbum
incidit, eoque sequentis anni principio vi-
tam finivit.

Bellum civile exarsit inter filios Ludo-
vici, Lothario adversus Ludovicum & Ca-
rolum Calvum fratres pugnant, qui om-
nibus modis prælium devitare conati sunt,
sed id coacti inière. Victus est Lotha-
rius, & Carolus relictum sibi Regnum à Pa-
tre stabilivit: qui ut pietatem sui parentis
imitaretur Sveffionibus aliquot Sancto-
rum Corpora suis humeris summâ venera-
tione in nobiliorem Ecclesiam Monasteri-
um S. Medardi transtulit, quo meruit à
Deo, ut onus sui Principatûs & meliùs &
honorificentius ferret.

✽(842.)✽ Lotharius renovato bello
superatur & consensu Episcoporum in
Conventu Aquisgranensi exauctoratur, cu-
jus regnum propter scelera perditum fra-
tres inter se partiti sunt.

Theophilus moritur Constantinopoli,
cum priùs Theophobum Imperium affe-
ctantem interemisset, ejusque viso capite
exclamasset: *Neque posthac ero Theophilus,
neque tu Theophobus.* Scripsit de Theophi-
lo Gennadius quod pœnitens erroris sui
ima-

imaginem sacram adoraverit, & raptus ad
 iudicium precibus uxoris suæ Theodoræ
 pietissimæ fœminæ, ac S. Methodii Pa-
 triarchæ aliorumque piorum, misericor-
 diam consecutus sit: quod si verum est in
 homine tam impio, Deus ostendere voluit
 quò immensa ejus misericordia pertin-
 gat.

Successit ei Michaël III. adolescens sub
 cura matris suæ Theodoræ ac Manuelis
 Magistri militum & Theodisti Logothetæ
 Dromi. Eorum Concilio exactoratus
 est impius Joannes Pseudo-Patriarcha, eiq[ue]
 substitutus S. Methodius, à quo statim ha-
 bita Synodus, in qua septima Synodus ap-
 probata. Promoti in Episcopos viri illu-
 stres, imagines restitutæ, & Iconoclasta-
 rum hæresis annis 120 Constantinopoli
 grassata penitus extincta est, & Statutum
 ut deinceps quot annis Dominica I. qua-
 dragesimæ festum restitutionis imaginum
 celebraretur.

✠(843.)✠ S. Methodius Patriarcha
 Constant. per invidiam nefarii Joannis &
 aliorum hæreticorum à muliere quadam
 pecuniis illecta, stupri accusatus, ut tan-
 tam Calumniam dilueret, coram omnibus
 pudenda sua denudans, arida illa & pro-
 fus tabida ostendit; quod adversus carnis
 incen-

incentiva remedium S. Petrus Apostolus
ipfi petenti per visionem impertiverat,
cùm is Romam à Nicephoro Patriarcha
missus esset.

Obtinuit autem suis accusatoribus veni-
am, sed Joannes detrusus est in Monaste-
rium, ubi cùm oculos quibusdam imagini-
bus per Diaconum suum effodisset, ipsi
quoque jussu Theodoræ oculi eruti sunt,
acceptis prius ducentis verberibus, dig-
nissimus, hac pœnâ Talionis nequissimus
verbero.

Ludovicus & Carolus Francorum Rex
à fratre Lothario Imperatore rogati, de
pace ac Regni restitutione, quietis publicæ
studiosi, consultis prius Episcopis, eum in
regni partem receperunt, Lotharius au-
tem dicitur ex illo tempore nomen fecisse
Lotharingæ, ubi hæsit, Ludovicum fili-
um suum Italiæ Regem designans.

Moritur Gregorius IV. Papa, & Sarace-
ni in Italiam irrumpunt, Beneventum ca-
piunt, & Capuam incendunt. Tum quo-
que à S. Conulpho seu Sigenuolpho fratre
Beneventani Ducis, qui Saracenos ex Hi-
spania adsciverat, direptum est monaste-
rium Cassinense, elatis inde auri purissimi
centum triginta libris, & argenti nongen-
tis, præter aurum argentumque signatum

ac gemmas. Atque hæc Saracenicæ lues ita affixa tunc fuit Italiæ, ut vix annis triginta expelli potuerit.

✽(844.)✽ Sergius II. succedit Gregorio IV. in eruditione & moribus insignis, patre Sergio Romano natus, qui mox Joannem Diaconum in sedem intrusum eiecit. Tum quoque Romanus Ludovicus Lotharii filius venit, non ut Sergium confirmaret (quod ajunt schismatici) sed ut Sergio coronaretur. At hostiliter venit imprudens juvenis, susceptusque est magnificè & sapienter, & simul fortiter à Pontifice admonitus ob suorum grassationes. Coronatus Italiæ Rex Papiam remissus est, pace Romanis prudenter per Sergium partâ.

Ramirus Galæciæ Rex, successor Alphonsi Casti Oveti regnans, ejurato centum puellarum tributo, auxilio S. Jacobi ritè Sacramentis munitus, septuaginta Saracenorum millia cecidit, S. Apostolo equitante equo albo, & vexillum præferente. Quare Rex victor Hispaniam S. Jacobo reddidit vestigalem.

Carolus Rex Francorum Bernardum Comitem Barcinonensem, donatum à Ludovico Pio Ducatu Septimaniæ, incautum interemit. Filius autem ejus Wilhelmus

adsci-

adscitis in auxilium Saracenis, multo sanguine & flammis ultus paternam necem, docuit viris fortibus non esse facile inferendam injuriam.

✽(845.)✽ Bogaris Bulgarorum Princeps a Theodoro quodam Cuphara dicto viro insigni & captivo, Christianis mysteriis imbutus & imagine extremi judicii (quam monachus quidam illi effigiârat, in quâ proemia Beatorum in coelis, & atrocissima supplicia in inferno damnatis sustinenda, aliquantisper penicillo adumbrârat) permotus, fidem amplectitur cum sorore sua, & Michaël in Baptismo nominatur, â nomine Imperatoris, cum quo non pridem pacis fœdus renovaverat.

Michaël Imperator exagitat Manichæos, & suadente Theodorâ Imperatrice, misso exercitu centum circiter hæreticorum millia vario mortis genere interfecit, bonis illorum publicatis, reliqui verò Saracenis se conjungentes, multa mala Imperio intulêre.

Hincmarus doctrinâ & moribus insignis, & Carolo Calvo Regi gratissimus, Præfectus cœnobii S. Mariæ & S. Germani, in Concilio Bellovacensi Rhemensis Episcopus creatur.

Nortmanni, alio nomine Dani dicti, cum

cum valido navium apparatu, Duce Horich ipsorum Rege Gallias invadunt, ac primò Rhothomago potiti, deinde per Sequanam sub Duce Ragenatio, ipso Sabbatho Paschalis festivitatis Parisios venientes, omnia sacra & profana evertunt, ferro flammâque grassantes. Et inter alia loca sancta monasterium quoque S. Germani depopulati sunt: sed protinus in sacrilegum vindex Dei manus extensa est, omnes enim dysenteriâ periêre, nisi, quos ipse Rex Horich interemit, ne malum ad alios pervaderet. Nec milites tantum, sed & Dux Raginerius sensit suo damno cœlestem virtutem. Cùm enim jactaret se apud Regem suum de captâ civitate Parisiorum, & expilato monasterio S. Germani, adderetq; majorem ibi mortuos quam vivos virtutem habere, & nullum sibi restitisse præter Germanum effœtum & mortuum senem, repentè concidit horribili voce exclamans se ab eo sancto baculo percuti: unde tri-duo tumens, extensus instar monstri crepuit medius, licet pœnitens instar Antiochi se Christianum fore, & statuam auream ejusdem secum magnitudinis S. Germano positurum polliceretur. Posthac Barbari illi cum Carolo pacti sunt, se nunquam in Gallias ut hostes, sed tantum ut

auxi-

auxiliores, si poscerentur, redituros esse,
& Rex Horich omnes Christianos captivos
remisit, ne in Christum favere videretur.

Dum sic grassati essent Barbari in diver-
sis Galliarum plagis, Episcopi Synodos cele-
braverunt, ut Deum iratum flecterent, &
à Clero exorsi, à quo pietas & poenitentia
in reliquum populum refunderetur.

✽(846.)✽ Saraceni Africani compa-
rata magnâ classe Romam improvise impe-
tu aggrediuntur; à cujus muris ægrè re-
pulsæ sunt, & S. Petri Basilicam omnibus su-
is ornamentis & divitiis spoliârunt, inde-
que per Italiam diffusi, à Cassinensi mona-
sterio divinitus rejecti sunt, ac redeuntes in
Africam per SS. Petrum & Benedictum
manifestò apparente, in mari foedissimum
naufragium passi, omnes cum suis navibus
ac spoliis periêrunt,

✽(847.)✽ Mortuus est (ut ei prænun-
ciârat moriens anno superiore S. Joanni-
cius Anachoreta) S. Methodius, cui suf-
fectus est Ignatius, Nicephori Imperatoris
ex alia nepos, & filius Michaëlis Curo-
palatæ castratus in monasterium detrusus.

Obiit quoque Sergius II. Papa, cui eo-
dem die subrogatus est Leo IV. non tamen
statim consecratus, prudenter in illis cir-
cumstantiis expectatâ voluntate Impera-
toris.

toris.

toris Occidentalis. Hic Ecclesias urbis multis donis ornavit, ac præcipuè Basilicam S. Petri, quam Saraceni spoliaverant. Idem suis precibus ingens Romæ incendium restinxit, & Basiliscum serpentem, Romanos afflatu & aspectu enecantem, interemit.

✠(848.)✠ Leo IV. Papa Romam & Basilicam S. Petri mœnibus cingit contra Saracenorum incursionem & impetum. Lothario ac Ludovico non modicam pecuniæ summam ad opus hoc ingens ministrantibus.

Celebrata est Synodus Moguntina sub Rhabano in causa Goteschalci, qui fuit monachus monasterii dicti *Orbei*, homo ambitiosus & exlex, disseminator hæresis Prædestinatianorum & Trinitarius, remissus est ad suum metropolitanum Rhemensem, à quo in alia Synodo Galliæ Belgicæ declaratus est hæreticus; & quia pernicax fuit, retrusus est in monasterium, & captivus in eo detentus, non sine verberibus, usque ad Papam Nicolaum, acerbius castigandus, nisi in tribunal Ecclesiæ incidisset.

HÆRESIS GODESCHALCI.

*A*lij Belgam, alii Gallum fuisse scribunt, qualiscunq; fuerit, multorum errorum convictus & condemnatus est in Moguntinensi Concilio.

1. Heresin instaurabat veterum Prædestinatorum seu Prædestinatianorum, aiebat non velle Deum omnes homines salvos fieri.

2. Putabat, Christum mortem pro ijs solùm tolerasse, qui revera salvantur, & quidem hos errores etiam convictus & condemnatus pertinacissimè propugnabat.

HÆRESIS CLAUDII TAURINENSIS.

Fuit hic Episcopus Taurinensis, Felicis Urgelitani discipulus.

1. Propugnavit Nestorianismum.
2. Iconoclasta fuit.
3. Participavit in erroribus cum Ariano & Eustathio.
4. Sanctorum & invocationis eorum impugnator audacissimus, & contemptor sacrilegus.
5. Peregrinationes ad sancta loca damnabat, maximè si quis Romam pœnitentiæ causâ proficisceretur.
6. Baptismum censebat irritum ac nullum, nisi signum crucis fronti imprimeretur.

DE THEODA PSEUDO-PROPHETISSA.

Fuit hæc Sœvica, & anno 848. Moguntia magno multorum malo haccinabat, scire se verè ac determinatè diem ultimum Judicij. Quare cum ab Archiepiscopo carceri mancipata esset,

P

con-

confessa est, spe lucri se ad hoc *facilitandum ad-*
ductam, cui merces prophetiae fuerunt virga.

✱(849.)✱ Cùm Romæ innotuisset, Sa-
 racenos ex Africa iterum magnâ classe
 comparatâ in Italiam ad urbis excidium
 properare, Leo Papa, quæcunque ad urbis
 defensionem conferre possunt, celerrimè
 disposuit, præcipuè autem corpora San-
 ctorum, quibus civitas securissimè custo-
 diretur, è cœmeteriis eruta, intra urbem
 invexit, & ecclesias ornamentis decoravit,
 quò cultus divinus decentiùs celebraretur.
 Atque sic Deo placato & Sanctis concilia-
 tis certius defenderetur. Et factum est
 mirabiliter, ut appropinquantibus Sarace-
 nis ad Romanam portam, Neapolitani, al-
 liq; vicini populi spontè advenerint cum
 classe instructissima ad subveniendum Ec-
 clesie Romanæ, & quod majus est, naves
 Saracenorum cum illis dimicantes, vehe-
 mentissimis ventis obortis, dissipatæ &
 contractæ sunt, & Barbari naufragio, fer-
 ro, fame, atque etiam suspendio consum-
 pti sunt: & qui residui fuerunt, cùm ad di-
 ripiendas Ecclesias venissent, iisdem mu-
 niendis inserviêrunt. Captivi enim, qui
 magno numero Romam deducti sunt, fer-
 reis onusti vinculis mœnium ædificationi

adscri-

adscripti sunt, atque ex malis militibus boni latomi facti sunt.

Nomenoius à Carolo Francorum Rege missus in Britannias, ad eam Provinciam curandam, contra Ecclesiam factus tyrannus insurgit, & sacra & humana devastans; ideo à Leone Pontifice reprehensus, sed spretâ Pontificis auctoritate, & spretis monitis Episcoporum Gallorum factus est effrator, iniecit tamen feritati frœnum divina providentia, ut agnoverit, ferius licet, sacrilegia Principibus nec vivis nec mortuis unquam profuisse.

✽(850.)✽ Habdarahgman Saracenorum in Hispania Princeps affligit Ecclesiam Cordubensem, & multos Martyrio afficit quorum: antesignanum gloriosum *Perfectum* Presbyterum & Monachum post diuturnum carcerem obtruncat, alios aliis suppliciis excruciat.

Obiit etiam hoc anno Ramirius Gallitiæ Rex, cui filius Ordonius successit.

Nordmanni iterum Duce Godefrido per sequanam ingressi, ditionem Caroli Calvi depopulantur, qui in auxilium quidem evocavit fratrem suum Lotharium, sed hoc jam ad conflegendum cum hoste accincto, subito mutato consilio cum hoste barbaro pactus est, & partem Neustriæ

(quæ deinde dicta est Nordmannia, à barbaris hisce piratis cognominata) incollandam tradidit.

Ludovicus quoque in Germania magnam cladem accepit à Boiohemis, de quo prælio Dæmon per os arreptitii professus est, viribus suis factum, ut Franci terga venterent. Et quid mirum Si Dæmonis potestas prævaleat, adversus Principes quorum pietas deficit, & quorum robur atque laetitia incipiunt esse bona Ecclesiæ.

Germania durâ fame oppressa fuit, Rabani autem Archiepiscopi Moguntini in sublevandis pauperibus munificentia & charitas mirificè enituit.



DECAS VI.

Ab anno 850. ad annum 860.

351. **L**udovicus Lotharii filius Beneventanam provinciam à Saracenorum iugo liberat, e contra in Cordubensi territorio ab eisdem Saracenis Ecclesia diris modis affligitur, & multi Martyrii coronam cruciatibus, carceribus, & caedibus merentur. Etiam Reccafredo quodam Episcopo adversus fideles insurgente. Horum martyria scripsit Eulogius. Brevi tamen

tamen pax insperata reddita precibus Vir-
ginum Mariæ & Floræ quæ in loco sup-
plicii pollicitæ sunt fidelibus, se cùm ad
sponsum pervenissent, tranquillitatem ex-
oraturas: & quinto post die eventus pro-
missus respondit.

✠(852.)✠ Leo Pontifex varias urbes
à Saracenis vastatas restituit, inter quas ci-
vitatem Leoninam & in ea Basilicam S. Petri
inclusis hospitiiis pro peregrinis, ornat, &
aquâ benedictâ, multisque precibus com-
munitam Deo consecrat, similiq̃ ritu
Leopolim à suo nomine appellatam San-
ctissimæ Trinitati dedicat.

Rex Habdaraghman ad Pseudo-Syno-
dum convocat omnes suæ ditionis antisti-
tes: in qua perperam decretum est Martyres
non esse eos qui se sponte offerrent ad
professionem fidei & ad necem, sed super-
bos potius & temerarios dicendos, (ni-
mirum invidēbat ferox tyrannus Marty-
rii honorem Christi Athletis gloriosis) &
æquè maligno decreto statutum est nec Mar-
tyres nec Sanctos esse, qui miracula non
ederent, & quorum corpora post obitum
non manerent incorrupta. Quæ S. Eu-
logius contra illam Pseudo-Synodum ca-
lamum fortiter stringens, libro composi-
to refutavit, ex omnibus autem Episco-

pis unus tantum Cordubensis inventus est, qui se opponeret, cæteris, omnibus mercenariis & adulatoribus tempori servientibus.

Sed & impius tyrannus mox pœnas dedit: cum enim quædam Martyrum corpora publicè pendentia comburi jussisset, lingua ejus palato adhærens eum suffocavit, ut ad rogos æternos detruderetur priusquam Sanctorum corpora accenderentur. Successit ei filius Mahomad seu Mahumetes, parente non melior.

Pipinus & Carolus filii Pipini tumultuantur contra Carolum Calvum qui eos, captos & attonfos in monasterium retrudit.

✱(853.)✱ Nortmanni per Ligerim in Gallias subeunt, & horrendum grassantur Nannetis Episcopum cum Clericis & populo interficiunt: Ecclesiæ S. Martini Turonibus faces iniiciunt ejusdemque monasterii centum & sedecim monachos cædunt. Corpus autem S. Martini ante hanc irruptionem, Antissiodorum translatum multis miraculis in fuga sua coruscavit.

Marianus Scotus, refert (rectius diceretur) hoc anno Leonem IV. obiisse, eique Joannam Papissam successisse. Quod commentum omnes Heterodoxi rapuerunt,

runt: tamē in qua fabula omnia labant, tempus, nomen, patria, Mariani codex: adeò ut id putare sit delirare. Qui omnia curiosius scire desiderat, legat locupletissimum commentarium Florimundi Reimundi, cujus inscriptio *Error popularis de Joanna Papissa*, quo sic confecit monstrum illud scriptorum levitate formatum, & Novatorum industriâ phaleratum, ut eos pudeat, quæ scripserint, somniâsse.

✱(854.)✱ Dani sive Nordmanni intestinis se bellis inter Regem Horichium & Guduyin fratris filium (qui piraticam exercebat) obortis se mutuò lacerant atque consumant.

Michaël Imperator cum Ephebis jam excederet tutores partim à se removet, & partim occidit. Matrem verò Theodoram una cum filiabus detonsam in monasterium includit. Ut sic effreni licentiâ in omni scelere volutaretur, in quæ propellebatur à Barda avunculo qui Imperatorem & Imperium in ultimam perniciem rapuit, eoquē Pædagogo juvenis Imperator quidquid impium & impudens facere ausus est. Inter cætera abominanda, Cinædos habens in honoribus, & vestibus saceris eos induens, cogebat res divinas peragere, omniaque Pontificum munera, etiam

publicè exercere, quorum Principem Gryllum nomine, Patriarcham vocitabat, & reliquos undecim Metropolitans, se quoque faciens unum è Sacerdotibus, qui Praeful Coloniae appellabatur: habebantq; vas aurea & pretiosis lapidibus ornata, quae aceto vel sinapi implentes aliis porrigebant, scurriliter sacra mysteria irridentes. Ausus etiam impudentissimus Imperator quadam die matrem suam ad se vocare, ut à Patriarcha (Gryllo scilicet suo, scurriliter insolente) benedictionem acciperet, quae cum summa religione se se in terram prostravisset ad pedes Grylli (quae putabat esse Ignatium, verum Constantinop. Patriarcham) nefarius ille surgens verba turpia cum mimicis gesticulationibus protulit, quod iniquo ferens animo Augusta execrationibus filium infectata est: quem & divinam providentiam propediem destitutum iri vaticinata est.

✽(855.)✽ Leo IV. obiit, & Benedictus III. invitus ac reclamans successit: huic à sceleratis substitutus est Anastasius Presbyter, quem Leo deposuerat, quod annis quinque Cardinalis S. Marcelli parochiam suam penitus neglexisset. Is ergo Pseudo-Papa per vim S. Petri Basilicam ingressus, sacras imagines sacrilegè dejecit, inde

inde irrumpens in Patriarchium Lateranense. Benedictum convitiis & verberibus malè mulctatum, in carcerem detrussit. Resistentibus autem constanter Clero, populoque Romano, & Legatis Imperatoris, Anastasius ejectus, & Benedictus consecratus, conjuratis venia, Ecclesiæ pax redita est.

Lotharius regno inter filios Ludovicum & Lotharium diviso, & quidem traditâ Ludovico Imperatori Italiâ, Lothario autem regno, quod in Francia possidebat (præter Provinciam, quâ Carolo adjiciebat) rebusque aliis ritè dispositis, factus est monachus in Pruniacensi monasterio, in quo & vitam religiosè finivit.

✽(856.)✽ Sævit pestilentia dicta *Faucium*, ex atroci epiphorâ, quæ guttur obstruebat.

Mittuntur à Michaële Imp. Legati ad Pontificem cum muneribus. Quo eodem tempore Rex Lazorum ad limina Apostolorum peregrinatus Ecclesias, Clerum, & Optimates donariis aureis, populum autem argenteis liberalissimè honoravit.

✽(857.)✽ In Hispania honor SS. Martyrum malorum Christianorum linguis proscinditur, quasi Martyres non essent, qui ab idololatriis non interficerentur. Fu-

it hoc nefarium dæmonis commentum, ut fideles à subeundo Martyrio inhiherentur, ad quod refutandum S. Eulogius apologeticum pro SS. Martyribus expedit.

✠(858.)✠ Benedictus Papa obit, & Nicolaus Romanus omnium consensu succedit extractus è latebris in templo S. Dionysii, ubi se abdiderat, & præfente Ludovico Imperatore apud S. Petrum coronatur. De humillimis obsequiis Imperatoris erga hunc Pontificem memorat historia, cum ad eum aliquando Benedictus visitationis causâ venisset, ipsi imperatorem occurrisse, & equum, quo is vehebatur, freno duxisse, idemque rursus in reditu Pontificis in urbem præstitisse.

Missi sunt Legati a Francis ad Ludovicum Germaniæ Regem, ut huic Regno provideret, quod Caroli Calvi inertia perfundabat, effræni licentiâ & libidine peccandi, omnia sceleribus obruente & everte. Venit igitur in auxilium Ludovicus, sed exercitu instructus, contemptis Episcoporum Gallorum monitionibus: huic impar Carolus aufugit, relictis copiis, quæ se se Ludovico dederunt, sed orto tumultu in Germania, alienis omissis, suis rebus consulere coactus est, nullo alio opere

peræ pretio quam ut Carolum & Imperatorem offenderet, & multas calamitates afferret, quibus auxiliaturus advenerat.

Ignatius Episcopus Constantinop. quòd Bardam excommunicasset ob uxoris infantis repudium, & cum cognata, sibi sponsa, consuetudinem, sub prætextu conjurationis depositus & relegatus est in Insulam Terebinthum, ubi cum negaret, dare renunciationis libellum, post varios cruciatus in Copronymi sepulchro servandus crudelissimis satellitibus traditus est, unde à viro pio retractus & interceptus, mutatis subinde locis, Mitylerem deportatus est. Suffectus est ei Photius, Imperatori à secretis, & Protospatharius, qui intra sex dies ex laico factus est Patriarcha, & materies multorum in Oriente dissensionum.

✽(859.)✽ S. Eulogius Cordubensis presbyter cum Leocritia virgine Mahometana, quam ille Christo pepererat, Martyrio coronatur, eorum corpora magnis miraculis illustrata Ovetum transferuntur.

Wenilo Archi-Episcopus Senonensis (qui se & omnia sua debebat Carolo) in eundem prorsus ingratus proditor insurgit, ideo à Gallis Episcopis in Concilio apud Tullum congregato deponitur, cujus

nomen ita infamatum deinceps est, ut quisvis insignis proditor nomine Wenilonis vulgi sermone *Ganelo*, sive *Guenilo*, aut etiam *Ganello* diceretur.

Photius Ignatium Episcopatum renunciare nolentem, in stabulo caprarum includit, & Synodum convocat ad eum deponendum, sed rebus ex voto non fluentibus, ad Nicolaum Pontificem recurrit, a quo tamen sententiam contra jus non potuit extorquere.

Dum Michaël Constantinopoli theatra & certamina equorum curaret, imò etiam ipse publicè aurigaret, Barda imperabat, & viam sibi ad thronum præparabat. Id tamen beneficii in Rempublicam contulit, ut bonarum litterarum scholas aperiret: quo tempore Leo magni nominis Philosophus Constantinopoli docuit, floruere etiam Michaël Psellus, & Metaphrastes, de quo Psellus orationem habuit, in qua asserit de ejus obitu audisse eos, qui felicem ejus ad Deum transitum viderunt.

✽(860.)✽ Legati à Pontifice Nicolao Constantinopolim missi, malè ibidem suscipiuntur, quia Pontifex renuerat ferre sententiam adversus Ignatium, unde per centum dies nullius alloquio & consuetudine uti illis permissum est. Quæ in humani-

manitas non tam Michaëli, quam Berdæ, ejusque affini Photio adscribenda fuit.

Hoc tandem anno Francorum Reges Carolus & Ludovicus fratres, & Lotharius eorum nepos cum multis Episcopis & Comitibus Confluentiæ convenerunt, & pax sancita est multis perutilibus ad Regni Ecclesiarumque incolumitatem constitutis. Carolus autem non diu pactis stetit, multa de alienorum invasione secum meditatus & ausus.



DECAS VII.

✽ *Ab anno Christi 860. ad 870.* ✽

861. **C**onstantinopoli jussu Pholii celebratū est Conciliabulū 318 Episcopis congregatis, cui Legati S.R.E. interesse coacti sunt, ad sententiam contra Ignatium solenniter proferendam, eique ex auctorato Photium legitimum successorem pronunciantum. Hanc Synodum Nicolaus Papa jure merito latrocinalem appellavit. Quia Legati Pontificii in ea subscribere compulsi sunt, sub metu qui in fortes & constantes viros cadere videretur, intentato exilio, fame & carceris pædore, sed & Ignatius jussus saltem legere sub-

subscriptionem Photii maluit mutatâ veste
Insulas percurrere & victum emendicare,
donec terribilis terræ motus urbem qual-
favit, neque cessavit nisi eidem fides tuti
reditûs a Michaële & Barda concederetur.
Appellavit quidem Ignatius ad Nicolaum,
sed ille de rebus gestis verè edoceri non
potuit, legatis ejus dissimulantibus & men-
dacio suam imbecillitatem obvelantibus.

Ordonio Gallæciæ Rege, vitâ functo,
successit filius Alphonsus Magnus, qui
thesauros Patris in pauperes & Ecclesias
erogavit, multis victoriis contra Arabes a
Deo ornatus.

✱(862.)✱ Constantinopolis iterum
terræ motibus concutitur, voces è terra
audiuntur, S. Sophiæ templum confa-
grat, & Photio impietatem Michaëlis dis-
simulante, si non omninò approbante, Ba-
silius Thessalonicensis Episcopus liberâ ma-
gnanimitate reprehendens, pugnis vapu-
lat, dentibus etiam excussis. Denique Ni-
colaus eorum, quæ gerebantur in Orien-
te certior factus per Epistolam, electio-
nem Ignatii improbat, neque Photium
Episcopum appellat, quanquam *Virum*
prudentem nominare dignatus fuerit. Erat
enim Photius ante Ordinationem Episco-
palem, Imperatori à Secretis & Protospa-
tha-

tharius litteris sæcularibus bene instructus, sed & divinarum valde ignarus. *Vir* igitur prudens appellari dignus, quã prudentiã filii sæculi eminere solent præ filiis lucis.

Lotharius amore Waltradæ pellicis implicatus, eã subintromissã, Theutpergam Reginam repudiare molitur, quasi incoestus cum fratre ream. Cui proposito Synodus Aquisgrani habita, adulatoriè favens & contentiens reprehenditur à Nicolao, fortiter dehortante: cui etiam Carolus Calvus omnibus viribus obnititur.

✽(863.)✽ Photius Constantinopol. Pseudo-Patriarcha damnatur à Romano Pontifice & Ignatius legitimus Patriarcha declaratur. Ideo multi à Photii partibus recedunt. Photius autem conciliabulo Episcoporum 21. coactò (reliquis omnibus, etiam sceleratis quibusdam reclamantibus) Nicolaum Pontificem anathemate percellit, plùs furore agens, quam ratione.

Damnatur à Nicolao Concilium Metense in causã Waltradæ & Lotharii anno superiore celebratum, omnes depositi, qui interfuerunt, quia à Lothario pecuniã corrupti sententiam tulerunt, & Synodus illa *Prostibulum* appellata. Itaque hi omnes collatis calumniis Ludovicum Imperatorem

torem

torem adversus Nicolaum concitaverunt, quos ipse egregiè refutavit, sed ut eos restitueret, adduci ab Imperatore non potuit: quos inter præcipui Synodi promotores fuerunt Guntharius Coloniensis, & Teutgandus Trevirensis Episcopus: & hic quidem errorem suum agnovit, veniam tamen à Nicolao non obtinuit. Guntharius autem pertinax in officio perseveravit. Reliqui verò Episcopi oblatis libellis supplicibus in gratiam recepti sunt, posteaquam ea scripserunt adversus Pontificem, cujusmodi nulli unquam Gentiles, Judæi, vel hæretici vel schismatici adversus sedem Pontificiam scribere cogitassent, & quidem ut non tantum Occidentali, sed etiam Orientali Ecclesiæ execrabilem facerent Nicolaum Papam, epistolam de eo calumniis foedissimis refertam Photio schismatico Constantinopolim miserunt, quâ occasione ille mirificè delectatus, & auro pretiosiore æstimatâ, mox de cogenda Synodo adversus Nicolaum & Latinam Ecclesiam laborare cœpit.

Hincmarus multiplicem nomini suo maculam inurit, primò, quia Rothaldum Episcopum Sueffionensem in Sylvaneften Synodo injusto judicio deposuit, & foedorem adhuc maculam, quia ad triennium

Roma-

Romano Pontifici refractarius obstitit: denique foedissimam adhuc, quia ad suas partes contra Pontificem Carolum Regem, & alios quosdam Episcopos pertraxit, incitavit insuper Carolum, ut increparet gravissimè Nicolaum, quòd is Balduinum Judithæ filiae suæ raptorem suscepisset, & pro eo preces apud Carolum deposuisset. Quà de re, religiosè tamen, se Pontifex excusavit, effecitq̄ne, ut Balduinus recipere in gratiam, & acceptâ legitimâ uxore Judithâ, liberalissimâ dote, amplâ ditione in Belgio donaretur.

✽(864.)✽ Rhodoaldus Episcopus Portuensis Legatus Romanæ Sedis, bis prævaricator, Constantinopoli ex metu & in Gallia, acceptâ pecuniâ, frustra vocatus, & latebras captans depositus, & communionem privatus est.

Cæterùm Nicolaus à multis ex omni parte terrarum interrogatus, eximiâ doctrinæ & sapientiæ laude respondit, & curam Ecclesiarum accuratam gessit. Sardos quoque censuris ecclesiasticis ab incestis nuptiis cohibuit, inopibus liberalissimè subvenit, & omnes optimi Pontificis partes explevit.

✽(865.)✽ Michaël flagitiosissimus Imp. epistolam scripsit ad Pontificem refertam
●btre-

obtreſtationibus, calumniis & blaſphemis, citra dubium auctore Photio; cui ſapientiffimè Pontifex reſcripſit, fortiter ſimul interminatus, ſe ejus litteras in medio foro Romno combuſturum. Ignatium quoque & Photium Romam accerſivit, judicium experturos.

Mittitur a Nicolao Legatus Arſenius in Galliam, ubi Rhotaldum Sveffionenſem Episcopum ſuæ ſedi reſtituit. Lotharium tergiverſantem impulit ad recipiendam Theutpergam, & dimittendam Waltradam, quam Romam ablegavit: Engeltrudem quoque induxit ad jurandum, ſe iteram Romam: ſed hæc juramenti oblita, non autem libidinis, perſtitit in Gallia. Quare Arſenius datis ad omnes Episcopos litteris vetuit, ne a quopiam reciperetur in communionem: Pacem denique inter Francicos Reges compoſuit.

✽(866.)✽ Rex Bulgarorum Michael ad Chriſtum converſus, mittit legationem Romam & rogat nonnullos mitti in Bulgariam ad inferendam plenam Evangelii lucem, quem in finem a Pontifice electi Paulus Populoniensis & Formoſus Portuenſis, magnæ ſanctitatis Episcopi. Cum eiſdè per Bulgariam terreſtri itinere alii quoque Legati Conſtantinopolim ad Michaelē Imper

per. Bardam Photium Ignatium & omnes Orientis Episcopos Clerum & Populum Constant. mittuntur, qui annuntient ea quæ in causa Photii & Ignatii Romæ decreta sint & Imperatorem ad meliorem frugem reducant.

Bulgari fidei Christianæ reluctantes arma movent adversus Regem suum Michaëlem, qui Crucis vexillum in exercitu suo erigit, loco caudæ equinæ, quæ Bulgaris Idololatris hætenus, pro labaro præferebatur.

Ludovicus Imperator Saracenos Campaniam & Samnium infestantes reprimit, & magnis cladibus expellit.

Nicolaus fulmen excommunicationis intentat Lothario propter Waltradam pellicem, qui Pœnitentiam quidem simulavit, sed libidinem suam & Waltradam semper respectans, plus Nicolaum quàm Deum re-
formidavit.

✠(867.)✠ Legati Pontificii Constantinopolim missi in Thraciæ limitibus consistere jubentur & ab ingressu per 40 dies arcentur, injuriis insuper affecti Romam redire compelluntur Græcis jam in deteriora prolabantibus, decem enim capita objecerunt Romanæ Ecclesiæ, quibus etiam decem errores exprobrabant.

I. Quod

1. Quòd jejunarent in Sabbatho.
2. Quòd Spiritum S. ex Patre & Filio procedere dicerent.
3. Quòd abominarentur nuptias, quia Presbyteros ducere uxores prohiberent.
4. Quòd Presbyteros linire baptizatorum frontes prohiberent.
5. Quòd Chrisma ex aqua fluminis conficerent.
6. Quòd septem hebdomadibus ante Pascha à casei & ovorum esu non absterent.
7. Quòd agnum in Paschate more Judæorum unà cum corpore Dominico offerrent.
8. Quòd Clerici barbas raderent.
9. Quòd Diaconi nondum suscepto Presbyteratu Episcopi fierent.
10. Quòd Legati Apostolicæ Sedis recusarent professionem fidei offerre Patriarchæ Constantinopolitano.

Omnia hæc capita accuratè refutarunt Hincmarus Rhemensis & Odo Bellavicensis, quorum operà omnes hæc calumniæ evanuerunt.

Hoc anno recordatus Deus Ecclesiæ suæ Orientalis vindictæ suæ fulmina vibrare cœpit primò in Bardam, & quidem ut appareret ob illatas in Apostolicam Se-

dem injurias præcipuè puniendum esse, nocturnâ visione eventura mala prænunciavit. Vidit nimirum improbus Bardas S. Petrum sedentem in folio & Ignatium ad pedes ejus, procumbentem ac ultionem postulantem, ipsumque S. Petrum cuidam adstanti gladium porrigere, quò primùm Bardam, & postea Michaëlem in frustra concideret. Quâ visione valdè Bardas turbatus sed haud melior effectus fuit. Post hæc cum adversus Cretenses Bardas expeditionem pararet, & quadam die Imperatoris tentoria in loco plano collocata fuissent, Bardæ verò in loco supereminente, indignatus Imperator necem ei machinatus est, & per satellites inferri jussit: qui animâte Basilio tunc temporis cubiculi Imperatorii præfecto, strictis gladiis impetu in Bardam facto, ipsum subitaneo casu perterritum ad pedes Imperatoris se prosternentem foras extrahentes, frustatim conciderunt. Imperator autem cùm legitimâ prole careret, & solus rempublicam administrare non valeret, eundem Basilium prius in filium adoptatum, postea Imperatorem creavit. Tum curante Photio idem Michaël Synodum convocat, in qua anathema dictū Nicolao est: mittit insuper ad Ludovicum Imperatorem Occiden-

den-

dentis legatos cum magnis muneribus, ut Nicolaum deturbet de sede, pollicitus se eum proclamaturum in Oriente Imperatorem, cum ad hoc usque tempus Occidentales non haberentur pro Imperatoribus: Quibus dum obsistit sapienter Basilius, & impium hominem à suis sceleribus retrahere blandè nititur, deliberat ille monitorem de medio tollere. Sed hic illum prævenit; Itaque vino somnoque sepultus Michaël in palatio manibus amputatis, multis vulneribus confossus, execrandam cum vino & sanguine animam Dæmonibus evomuit; homo ex omnibus vitiis concretus, tam quæ in Principem, quam in privatum cadere possunt.

Basilus ergo statim proclamatus est solus Imperator, genere Macedo, ex humili profapiâ, cui Michâël concubinam suam Endoxiam in uxorem dederat. Is ubi se purgasset de nece Michaëlis, quasi se in scio factâ, Photium expulit sede, restituit Ignatium, rescripsitque ad Nicolaum, paratissimus componere controversias per Photium concitatas: quem etiam in monasterium relegavit: meliùs provisurus Ecclesiæ & Imperio, si in eum graviùs animadvertisset.

Russi seu Roxolani Schytici populi Septen-

trionem incolentes, totam supra ponticam Euxinum regionem deprædati, & vim Numinis experti, domum reduces per legationem Constantinopolim missam, petierunt Sacerdotes, à quibus baptizarentur.

Obiit hoc anno Nicolaus, meritò alter Elias & Phinees dictus, cui post mensem successit Hadrianus II. annos tunc 75. natus, & jam bis expetitus Pontifex, sed semper tergiversatus.

(868.) Hadrianus in multis condescendit facinorosis, quos Nicolaus deposuit, propter quod apud Occidentales Episcopos, viros pios minùs bene audit.

Basilii & Ignatii Romam mittunt Legatos cum actis Photii, divino autem iudicio factum est, ut navis, quâ Photii Legati seorsim vehebantur, fluctibus maris absorberentur, omnibus vectoribus suffocatis, præter unum insolentem monachulum Methodium dictum, qui rebus pessimè Romæ gestis, ita ut neque Photium, à quo, neque Ignatium, contra quem, neque Ecclesie universalis curam suscipiens, tertio conventus, tertio perfidiâ denotatus, denique anathematizatus discesserit. Legati autem Basilii & Ignatii commodè apulerunt, & honorificè suscepti sunt: à Pseudo-Synodi Photianæ flammis absum-

sum-

sumpta, idemque ut fieret Constantinopoli, curatum, & magna spes pacis utriusque Ecclesie affulsit.

Lotharius Romanus veniens ad Hadrianum Christi corpore refectus est, qui dum Sacrosanctam communionem illi porrigeret, in hæc verba illum allocutus est: *Si innoxium te cognoscas à prohibito & interdicto tibi à Nicolao adulterii scelere, & hoc fixâ mente statutum habes, ut nunquam diebus vitæ tuæ Waltræ Pellicis tuæ, dudum à te repudiata miscearis nefario concubitu fiducialiter accedi, & Sacramentum eternæ salutis tibi ad remissionem peccatorum profuturum percipe: sin autem tua te conscientia accusat, teque lethali vulnere sauciatum proclamât, aut iterum redire mente disponis in Mæchiæ volutabrum, nequaquam sumere præsumas, ne forte ad iudicium & condemnationem tibi adveniat, quod fidelibus ad remedium præparavit Divina Providentia.* Ad alios deinde conversus Pontifex qui Lotharium comitati erant, unicuique hæc dixit: *Si Domino & Regi tuo Lothario in obiecto crimine adulterii favorem non prestitisti, neque consensum præbuiti, & Waltræ aliisque à Sede Apostolica excommunicatis non communicasti, Corpus & Sanguis Domini nostri JESU Christi, profit tibi in vitam eternam.* Cùm autem & ipse Rex, & alii ferme omnes,

nes (nonnulli enim ejusmodi contestatione conterriti, timuerunt accedere ad sacram mensam) ausu temerario communionem sumpsissent, Divina vindicta mox à tergo secuta est. Lotharius enim Româ lætus recedens, mox in via morbo correptus, æger Placentiam deductus, & reliqui communionis participes, intra annum miserè perièrunt, & tanta strages Lothariani comitatus facta est, ut non peste, sed hostili gladio demensus esse videretur.

✽(869.)✽ Legatio Hadriani pervenit Constantinopolim, & honorificè excepta est, omnibus Ordinibus obviam effusis, & Catholicam fidem spirantibus. Inchoata posthæc Synodus, omnibus jam antea paratis, in ecclesia S. Sophiæ.

SYNODUS OCTAVA OECUMENICA,
CONSTANTINOPOLITANA
QUARTA

*Contra Photium, pro S. Ignatio Patriarchæ
Constantinopolitano.*

Hilic Concilio præfuère Sanctæ Sedis Legati, Donatus Ostiensis Episcopus, Marinus S. R. E. Diaconus, & Stephanus Nepetinus Episc. cum iis qui tenebant locum Patriarchalium sedium vacantium, & Episcopis centum & duobus, quorum

Q

12 duntaxat

12 duntaxat ab Ignatio non desciverant, cæteri recepti sunt, ut pax Ecclesiæ turbatæ redderetur. Adfuere quoque Legati Ludovici Imperatoris, quorum unus fuit Anastasius S. R. E. Bibliothecarius, emissi ut agerent de fœdere per nuptias inter utrumque Imperatorem conciliando. Adfuere quoque Legati Bulgarorum, qui nuper ad Romanam Sedem confugerant, & quorum, erat excutienda causa. Hoc concilium terminatum est decem Sessionibus: Introductus est Photius cum suis asseclis, qui cum baculo innixus ingrederetur jussus est eum deponere, quia is Pastoralis dignitatis signum esset: damnatus Photius, pervicax & ejus scripta combusta, cum omnibus Chirographis quæ ab aliis extorsit. Reliqui reconciliati sunt, subscripsit actis Concilii Imperator Basilius, sed post Legatos Sedis Apostolicæ. Controversiæ tamen absolutâ Synodo contigerunt duæ, Prima de laudibus Ludovici Imperatoris, quas Orientalis Imperator non admittebat, secunda de Dicecesi Bulgarorum, an Romano Sedi an Constantinopolitano esset adscribenda. Illa est rejecta ad Hadrianum, hæc magnâ contentione est agitata & artibus Græcorum Ignatio est adjudicata, reclamantibus tamen lega-

legatis S. R. E. & illegitimum hoc iudicium, & cum fraude pronunciatum esse, asserentibus. Quin & eorum Legatorum scripta sublata, mox tamen reddita: Unde facti illi cautiores, acta hujus Concilii deferenda legatis Ludovici commiserunt, non sine Numinis Providentia, cum Legati Romanæ Sedis mox incidissent in piratas Selavinos, non sine Basilii culpa; quanquam aliqui ejus operâ liberatos esse vellent; Inter quæ tam incerta hoc certissimum est; Græcos in Latinum nomen male affectos fuisse, & omnia à Basilio & Græcis tristitia expectata esse.

Carolus Calvus defuncti Lotharii regnum occupat, & in Concilio Metensi hoc illi adjudicatur, adnitente Hincmaro. Sed obstitit Pontifex Hadrianus, voluitque id reddi Ludovico Lotharii fratri legitimo hæredi.

HÆRESIS PHOTII GRÆCORUM SCHISMATICORUM ANTE- SIGNANI.

Schisma Photij multorum errorum semen extitit, licet alii aliis temporibus germinarint, & non omnium Græcorum mentes occuparint, & etiamnum non occupent, quanquam enim inter Græcos hodie dum multi turbulenti ac novarum

rerum cupidi reperiantur, referunt tamen, qui cum illis versati sunt, primarios viros, & populum propè majore ex parte esse Catholicum. Unde sequentes errores non universaliter quidem omnes, sparsim apud varios adhuc illaqueatos & deceptos tenent.

1. Error est, Spiritum Sanctum non procedere à Filio, sed tantum à Patre.

2. Animam non esse beatam ante diem judicii.

3. Reproborum quoque pœnam differri in diem judicii.

4. Purgatorium non esse.

5. Ideoque viventium suffragia defunctis non prodesse.

6. Licere inimicos circumvenire, illisque nocere, etiam cum mendacio ac perjurio.

7. Secundas nuptias viduis esse illicitas.

8. Matrimonium pro cujusque arbitrato dissolvi posse.

9. Simplicem fornicationem non esse peccatum.

10. Licitas esse usuras.

11. Licitam similiter esse simoniam.

12. Iterum baptizandos esse, qui à Latinis baptizati fuerint.

13. Infantes, qualicumque mortis periculo impendente, ante octavum diem non esse baptizandos.

14. Eucharistiam non posse ex pane azymo, sed tantum ex fermentato confici.

15. Neq; vinum in Eucharistia aquâ permiscendum.

16. Neesse esse etiam laicis in utraq; specie communicare.

17. Malos, si consecratum panem accipiunt non accipere corpus JESU Christi.

18. Sacramentum Eucharistiæ esse majoris vis & efficacie, si feriâ quintâ in Cænâ Domini celebraretur, quàm si ullo alio die.

19. Eucharistiam statim à suscepto Baptismo infantibus esse ministrandam.

20. Corporis sanitati inutile esse Extreme Unctionis Sacramentum.

21. Abstinentum esse à suffocatis, aliisq; antiquâ Lege prohibitis, qui error Judaismum recudit.

22. Ecclesiæ Primatum non esse penes Romanam, sed Græcam, eamque Constantinopolitanam Sedem, ideoq; Latinas Ecclesias esse destruendas, & distribuenda monasteria monachorum, qui hos errores recipere non voluerint.

Observandum denique est circa hos spurios Græcæ Ecclesiæ stolones, eò usq; leves in sua fide fuisse, ut decies & quater se universo Ecclesiæ corpori reconciliârint, & toties se ab eo separârint.

ERRORES JOANNIS SCOTI, FREDE-
VARDI, ET BERTRAMI.

QUOS ALIQUI PUTANT FUISSE SACRA-
MENTARIORUM PRÆCURSORES.

Quando fit mentio Joannis Scoti, caveat Lector, ne hunc, qui fuit ex Ordine S. Benedicti, confundat cum Joanne Duns Franciscano, qui pariter dictus est Scotus, & Doctor subtilis vulgò cognominatur, ac multis seculis posterior est. Fuit autem Scotus iste Benedictinus discipulus venerabilis Bedæ, & eo nomine suspectus est, quia dicitur librum edidisse, in quo scriptum est, nihil esse in Eucharistia præter figuram Corporis JESU Christi. Et hunc quidem librum in Concilio Vercellensi damnatum esse scribunt nonnulli doctores: Lanfrancus Cantuariensis Archi-Episcopus, & Genebrardus. Bellarminus autem censet Joannem Scotum, licet de hac veritate questionem moverit, nunquam tamen eam aperte abnegasse, imò refert Baronius ad annum Christi 879 virum hunc doctissimum, postquam à Gallis magnopere propter hunc errorem, de quo suspectus erat, fuisset exagitatus, ab Olfredo Rege Angliæ à Gallia cum aliis viris doctis in Angliam evocatum fuisse, ad regnum ab infidelibus liberandum, & veræ fidei doctrinam illustrandum.

Similem questionem movit Fredevardus, seu
Fry-

Frudegardus in edito à se libro, unde & ipse sus-
 picionem ejusdem erroris incurrit. Quod idem
 de Bertramo Presbytero refertur, cui liber qui-
 dam adscribitur de Sacramento Corporis Domi-
 ni, qui in catalago Concilij Tridentini censurâ
 notatus est, in quo subobscurè docetur, non idem
 esse Corpus Christi in Eucharistia, quod ex Ma-
 ria V. natum est. De his verò simile est, du-
 bitasse quidem illos fortassis de reali præsentia
 Christi, deq; ea questionem agitasse, nunquam
 tamen eam manifestè rejecisse.

(870.) Bulgaris hoc anno datus est
 Episcopus Theophylactus (diversus ab eo,
 qui scripsit in Evangelia) à S. Ignatio re-
 jecto Grimoaldo, à Romana sede misso.
 Basilius autem Imper. sibi atque Ecclesiæ
 meritò timens à Photio viro eloquente &
 callido, eum longiùs relegavit, amicos e-
 jus fautoresque vexavit, ecclesias ab eo
 consecratas prophanari & dirui jussit:
 quibus Photius obstinatio factus Marty-
 rem se dixit, & qui terræ motus in urbe
 contigerat, suâ causâ à Deo vindice im-
 missum esse, impiè vaticinatus est.

Basilius Imperator filium suum Leonem
 natu minorem Augustum coronari jussit,
 tertium Alexandrum Cæsarem crevit,
 quartam Stephanum Divinis officiis addi-
 xit:

xit: sicut & quatuor virgines filias, quas in monasteriis Deo consecravit.

Transfertur Hierosolymis Damascum imago Dei Genitricis, olim Constantino- poli depicta in tabula lignea, sed postea pictura (dictu mirabile) super lignum est incarnata, & oleum maximè odoriferum jugiter emittere cœpit, quo languores quorumcunq̄ue hominum pellerentur, ita ut nunquam minueretur, quantumcunq̄ue sumeretur. Quapropter imago summæ venerationi fuit, non solum Christianis, sed etiam Saracenis, q̄ni ad eandem orationis gratiâ confluxerunt.

Turbata est hoc anno Gallia, Hadriano minaciter instante, ut Ludovico Imperatori Lotharii regnum restitueretur. renitente & stante pro Carolo, Hincmaro, cuius responsio amarior, nec ab eo scribi, nec ad pontificem mitti debuit. Itaque re infectâ remissi Legati Pontificis, qui tamen Caroli filium Carolomanum, quem in vinculis habebat, reconciliârunt. Hunc tamen iterum postea rebellantem, & vastantem ditionem patris, Carolus luminibus orbavit, filio suo pretiosorem existimans regni sui salutem.

Admirandum fuit factum quarundam sacrarum virginum in Anglia, & non temerè

merè imitandum ; quando Danis Ethnicis ingenti multitudine in Galliam effusis , & omnia evertentibus , ac virgines etiam sacras pollutentibus , Ebba Colinghamensis cenobii Abbatissa instinctu divino admirabile facinus ausa , convocatis omnibus monasterii Sanctimonialibus , sibi ipsi novacula nasum cum superiori labro ad dentes usque præcidens , persuasit , ut ipsæ quoque subditæ moniales idem facerent , ne a Danis polluerentur , quo spectaculo Dani perterriti , à virginibus quidem abstinuerunt , sed igne monasterio admoto , easdem omnes cremaverunt . Quæ ab Ecclesia Catholica cultu Martyrum celebrantur .

In eadem persecutione Eadmundus Angliæ Rex ab eisdem Danis ad arborem alligatus , & dirissimè flagellatus , deinde sagittis confossus , tandem amputatione capitis Martyrii coronam promeruit . Cujus exemplo permotus Humbertus Helmathensis Episcopus , fortiter quoque Martyrium perpeffus est .



DECAS VIII.

✽ Ab anno Christi 870 ad 880. ✽

871. Sanctus Ignatius & Basilus missâ legatione a Pontifice petunt dispensationem

Q5

fatio-

fationem in decretis Synodi octavæ, quibus prohibebantur depositi, qui à Photio ordinati erant, ad sedes non amplius recipi, Hadrianus autem negat id ulli permitendum, reprehendit insuper S. Ignatium, quòd Bulgaris dederit Episcopum, repulso eo, quem sedes Romana miserat, & Basilium reprehendit, quòd Legatos Pontificis sine ullo conductu & præsidio dimiserit, ut à piratis caperentur. Photius autem hoc tempore durius in exilio habitus, ad diversos sui causâ exules factos, litteras mittit, quibus eos ad pertinaciter partibus suis adhærendum, hortatur.

Basilus & Ludovicus Imperatores controvertunt inter se de nomine Imperatoris, quod Basilus renuit concedere Ludovico.

Hadrianus Ludovicum, postquam Barium urbem quatriennio obsessam recepisset, Galliæ Regem coronavit.

Respondet Ludovicus Basilio acerbè circa motam controversiam, ob usurpatum nomen Imperatoris, & post exprobratam ignaviam Græcorum, & simul inconstantiam in fide & inobedientiam erga Sedem Romanam, invitatur, ut secum confederatis armis animisque jungatur ad Saracenos è Sicilia expellendos; Sed furdo cantatum est, cui odium aures obstruxerat.

Celebratum est Duziacense Concilium in quo Hincmarus Episcopus Laudunensis nepos depositus est a patruo suo Hincmaro, & tractata causa Carolomanni ad Sedem provocantis, unde graves rixæ inter Pontificem, Hincmarum, & Carolum Calvum exortæ sunt. Neque Ecclesiæ neque ipsis & subditis eorum profuturæ.

✽(872.)✽ Basilius offensus litteris Ludovici Imperatoris Legationem mittit ad Ludovicum Germaniæ Regem: Cum muneribus, & parte non modica salutiferæ Crucis in crystallo miræ magnitudinis auro gemmisque coronato. Cujus Legationis ille finis fuisse videtur ut Basilius Ludovicum Regem in Ludovicum Imperatorem, jam animis à se invicem alienatos ob regnum Lotharii fratris Imperatoris, magis concitaret: nam & Adalgisum Ducem Beneventanum ad defectionem sollicitavit: cujus turpissimâ proditione Ludovicus Imperator Beneventi in suo palatio perfidiosè captus & in carcerem intrusus est, Scoda Duce Saracenorum plurimum cooperante quem flagitiosissimum virum ceptâ Bariî obsidione Ludovicus temerè servaverat; Neque liber inde exire permissus est, donec fortissimis juramentis pollicitus est servare, quæ ipsi pacta fir-

manda proditores obtulerunt. Videtur autem Deus hæc mala permisisse in Ludovicum propter gravem injuriam quam Apostolicæ Sedi & Ecclesiæ intulit, cum Romam venisset pro restituendis Gunthario & Theurgando Episcopis depositis, quod fieri recusârat Nicolaus Papa, idemque Pontifex ei ex more obviam factus esset cum Clero, Imperator Clerum fustibus cædi & Cruces, aliaque sancta pedibus calcari jussisset, magnam præterea, urbis partem deprædatus esset, atque ipsam Pontificem Sede privare cogitasset.

✱(873.)✱ Ludovicus Imperator interest Concilio Romano & deponit querelas contra proditorem Adalgisum, cui à Senatu Romano ideò bellum indictum: Ludovicus autem à suo Juramento quod invitus & metu coactus emiserat, Pontificis auctoritate & potestate absolutus est. Quare Adalgisus sibi metuens in Corsicam fugit, demum per compatrem Joannis Papæ reconciliatus.

In Conventu Episcoporum Francofordiæ à Ludovico Germaniæ Rege celebrato, Carolus ejus filius, in Patrem conjurans à malo Dæmone correptus est, fassus id toties contigisse, quoties huic voluntati adhæ-

adhæfisset ut sic dæmoni subditus esset, qui Patri obedire recusavit.

✽(874.)✽ Abdila seu Abdalla Princeps Saracenorum Afrorum Salernum obsedit, sibiq̄ue domum elegit in Basilica SS. Martyrum Fortunati, Caji & Anthes. Hic cum sibi lectum parâisset in altari, in quo Virginem comprimere nitebatur, trabs è lecto lapsa, licet longè distans à lecto seu linea perpendiculari altaris, eum, Virgine intactâ, interemit. Urbs autem adveniente Ludovico Imperatore obsidione soluta est, & Saracenos interneccione deletos tam impurum habuisse Regem pœnituit & puduit. Dani seu Nordmanni hoc quoque anno Angliam vexavêre: quibus diu resistit Beorredus Mercix Rex. Tandem autem regnum relinquere coactus est, & pie mortuus Romæ: uxor autem Ticini, ambo exules, minùs miseri quàm gloriosi.

✽(875.)✽ Ludovicus Imperator obiit & sepultus est Mediolani: vir pius & variâ fortunâ exercitus. Statim à Joâne VIII. Imperium oblatum est Carolo Calvo, qui Romam se conferens in Christi Natalitiis coronatus est: Ludovicus autem Germanix Rex interim Gallias devastavit. Quare Hincmarus ad orandum Deum omnes Gallix

liæ Episcopos invitavit, quorum precibus annuit Deus, Ludovico in Germaniam remeante. Tunc temporis etiam Engelberta Augusta relicta in Monasterio Brixia Augustissimo Sponso Christo nupsit eique se totam cum regno dedicavit.

✱(876.)✱ Caroli Calvi Imperium Ticini a Congregatis Episcopis & Comitibus confirmatum.

Ludovico Germaniæ Rege Francofordiæ 5. Kal. Sept. defuncto, regnum ejus filiis relictum, Carolus Calvus frater defuncti cum ingenti exercitu invadere decrevit, neque potuit ullis ab eo proposito rationibus dimoveri. Itaque Ludovicus filius & regni hæres cum se imparem cerne-
ret viribus, neque ullis legationibus (quod æquitas postulare videbatur) impetraret, ad preces publicas eleemosynas, & jejunia confugit, non absque irrisione & contemptu eorum, qui cum Carolo steterant, imò fide magis quam copiis firmatus & ad bellum gerendum instructus, inconcessa tentavit, & sincerâ conscientiam miraculo æquitatem causæ demonstrare præsumpsit. Misit enim decem viros cum aqua calida, & decem cum frigida, totidemque cum ferro ignito, qui ingressi in judicium coram eis qui cum Carolo erant, petierunt omnes ut
Deus

Deus declararet manifesto miraculo utrum Ludovico de jure hæreditas a patre relicta competeret, tetigeruntque omnes illæ si ferrum ignitum, & aquam æstuantem. Sed neque sic flectebatur animus Caroli in proposito præliandi ferro & ære rigidior: & durior. Clavicum igitur intonuit, pugnatum est armis & copiis prorsus inæqualibus, superior autem copiis Carolus repentinâ strage suorum victus & exterritus ægrè timidâ fugâ evasit. Uxor quoque Rachedis fugiens abortum est passa, & ostendit Deus grandes exercitus non prodesse, si Deus pugnet pro nobis.

(877.) Joannes Papa Saracenis Italianiæ magis infestantibus à Ludovico Imper. auxilium petiit, & simul palmas virides benedictas misit in Symbolum victoriæ de inimicis suis reportandæ. Jamq; Carolus Alpes cum copiis transcenderat & obviam illi Joannes venerat ad Vercellas, Ticiniquè magnificè ambo excepti erant, & subitò turbata sunt omnia, nunciabatur enim Carolomannum filium Ludovici Galliæ Regis imminere cum ingentibus copiis, quo nuncio dilapsus est exercitus, & Carolus in Galliam, Joannes Romam fugit; & Panicus quoque timor Germanos invasit, cum eisdem nunciatum esset, Carolum

rolum & Joannem adesse simul cum iugenti exercitu, itaque etiam Carolomannus fugienti similis reversus est in regnum suum. Deo sic Regibus & Principibus minus piis & justis illudente.

Inter hæc inexpectatum accidit ut Carolus Calvus Imperator hausto veneno, quod ei Judæus Medicus Sedechias porrexit, extinctus fuerit, Imperii sui & regni ab obitu patris anno secundo, Vercellis sepultus. Vir magis ambitiosus quam fortis, & majoris fortunæ, quam prudentiæ. Huic in Imperium & regnum successit Ludovicus Balbus, ab impedita lingua sic dictus, quem Hincmarus suis litteris instituerat.

Joannes Papa mortuo Carolo omni auxilio destitutus Arabibus sive Saracenis tributum pendere cogitur, ne Roma obsideretur; & rectè elegit potius pecuniam quam Romam perdere.

✽(878.)✽ Vexatus tamen est à Lamberto Duce Spoletino, & Adelberto Marchione Tusciæ, qui Patrocinium susceperat Formosi Episcopi Portuensis & aliorum Episcoporum, quos Papa deposuerat: Hi enim cum valida manu Romam ingressi, Pontifice in custodia retento, Clericis, dum Litanias publicas peragerent, fustibus percussis

caffis, & Romanis proceribus in verba Carolomanni jurare coactis, triftiffimam rerum turbatarum faciem Romæ induxerunt. Aded ut per multos dies claufis portis S. Petri, & altari cilicio obducto, nullum divinum officium celebratum fuerit. In quâ rerum confufione miser domi, forisq; Pontifex in Galliam, velut afylum suum, fugam arripuit.

Pontifice in Galliam ingreffo Trevis conventus Epifcoporum celebratus eft, & repetitum eft fulmen excommunicationis contra grassatores Lambertum & Adelbertum, in quo etiam Epifcopus Laudunenfis Hincmarus à Patruo fuo Hincmaro Rhemensi Epifc: depositus excæcatus lumbres fuas querelas depofuit, & licet cæcus effet fuæ tamen Sedi reftitutus, & miffam facere permiffus eft parte reddituum Epifcopalium ei assignatâ, & parte Hadenulpho, ejufdem dicecefis Epifcopo, post Hincmari expulfionem ordinato, relictâ. Coronavit deinde Pontifex Ludovicum Balbum Regem & Imperatorem, & Bofocomitem adoptavit in filium, cui curam temporalium tractandorum commiffit, quò melius ipfe fpiritualibus vacaret, rebus denique fic confectis, & interea turbis Romanis, auctoritate præcipuè Carolomanni (cu-

ni (cujus voluntate se se impii grassatores omnia agere jactarunt) aliorumque Principum Germaniæ consilio & industriâ compositis, Romam rediit.

Aëlfredus Anglorum Rex, latitans in insula, Dei monitu Gitronem Danorum Regem, jam totâ ferè Angliâ potitum, profligavit, & Christianum fieri compulit. Ideo magnus Aëlfretus & Anglicanæ libertatis restitutor cognominari meruit.

Misit hoc anno Pontifex Legatos Constantinopolim, itinere accepto per Bulgariam, ut novellam illam Ecclesiam inviserent, & Regi ad sedem Romanam reditum persuaderent. Ignatio quoque Constantinopolitano Episcopo excommunicationem minatus est, nisi missos in Bulgariam à se Episcopos intra 30 dies revocaret. Quod dum Photius deprehendisset, mox in benevolentiam Basilii redeundi occasionem nactum se esse ratus, insignem imposturam machinatus est. Deduxit in hunc finem Basilii genealogiam à Regibus Armeniæ, magno scilicet Teridate, atque ex initialibus litteris Basilii, Eudoxiæ uxoris, & quatuor filiorum Constantini, Leonis, Alexandri, & Stephani affinxit nomen *Beclas*, & illud huic profapiæ fortunatissimum fore, eundemque felicitate

& an-

& annis omnes antecessores Reges superaturum, mendacissimè auguratus est, multis insuper aliis mendaciis additis, quibus lectores nòsset delectandos, hanc fabulam in vetustissimis membranis, & characteribus Alexandrinis scripsit, & vetustissimis papyris obvolvens: per ministerium Theophanis cujusdam Clerici regii in bibliotheca palatii deposuit. Theophanes autem tempus opportunum nactus, eum librum ostendens Imperatori, tanquam omnium secretissimum, finxit nec se, nec alium intelligere posse, præter unum Photium. Quamprimùm igitur ad Photium missus est: sed negavit ille arcantum detegere, nisi ei, quem liber scriptus designaret, videlicet Imperatorem: actus igitur magnâ curiositate Imperator post decennium exilii Photium Constantino-
polim revocavit, & facilè creditâ commenti fictâ interpretatione, charissimum exinde habuit, sicut plerumq; fieri consuevit, ut a nebulonibus inter se convenientibus, sagacissimi alioquin Reges & Principes illudantur.

Interim magno Ecclesiæ damno mortuus est S. Ignatius, & sedem vacantem quamprimùm Photius involavit, nec ulli amicorum S. Ignatii pepercit, etiam sepulchro
ejus

ejus, sub specie thesauri eruendi, violato, omnia dissimulante Basilio, & jam devin-
tissimo: quem tamen Deus mox acerbissi-
mè castigavit, filio primogenito Constan-
tino extincto, & captis per Saracenos Syra-
cusis: Sic Principes & sua, & suorum pec-
cata luunt.

✽(879.)✽ Mortuus est Ludovicus Bal-
bus Francorum Rex, atque Imperator Oc-
cidentis, relinquens post se filios duos ex
Ansgarde priori conjugè, scilicet Ludovi-
cum & Carolomannum, ex posteriore ve-
ro Adelaide genuit Carolum posthumum,
cognomento Simplicem. Quod cum re-
scisset Joannes PP. scripsit ad Carolum
Crassum, quem diligebat, filium Ludovici,
fratris Caroli Calvi, ut veniret in Italiam;
quò etiam venit. Sed cum videret nutan-
tem Pontificis animum circa suam electio-
nem, armatus venit, & obtinuit, sed non
nisi post biennium, ut coronaretur: cum
interim Italia & Romanus Ducatus Sarace-
norum excursionibus, Procerum factioni-
bus, & Episcoporum dissolutionibus mise-
rè laceratus esset.

Photius per Legatos Romam missos,
induxit Joannem VIII. ut approbaret ejus-
dem restitutionem, spe scilicet pacis pub-
licæ, reconciliationis & conjunctionis du-
arum

rum Ecclesiarum, Orientalis & Occidentalis, nec non auxilii à Basilio mittendi contra Saracenos: quibus larvis blandientibus Pontifex illectus, pro restituendo & confirmando Photio, legationem cum litteris in Orientem expedit, & maximâ omnium admiratione facere non dubitavit, quæ nullus prædecessorum cogitare præsumpsit: svadente sic prudentiâ carnis, quæ inimica Deo & Ecclesiæ semper adversa fuit. Photius, ut primùm legati Constantinopolim venerunt, litteras Pontificias cum Legatis corrupit, non solùm conditiones, quas Pontifex apposuit, omit- tendo (quarum una erat, ut Photius in Synodo veniam suorum erratorum, & misericordiam supplex peteret, & Bulgaricæ Ecclesiæ administratione abstineret) sed & totum contextum immutando, & interpositis quibusdam antecessorum Pontificum actionibus, decretisque annullatis, in proprias suas, tanquam innocentis, & egregii pastoris laudes excurrando; quibus dolis artificiosè concinatis, Pseudo-Synodum 383 Episcoporum congregavit, eamque Oecumenicam VIII. appellavit, in quâ omniâ perturbatè, insidiosè & perfidè acta sunt, duobus omnis fraudis & nequitiae architectis, totam satanicam illam pesti-
len-

lentiæ cathedram construentibus & sufful-
cientibus, Photio & altero nebulone quo-
dam Theodoro Sandabareno.

Fuit Theodorus iste Magus & in Necro-
mantia versatissimus, qui artibus suis ma-
gicis effecit, ut Basilius Imper. filium suum
Constantinum demortuum, videret insi-
dentem equo, atque salutaret. Cùm au-
tem Leo hunc magum odisset, insinuavit
se hic in illius benevolentiam, eique per-
svasit, ut pugionem in venatione defer-
ret, ad feras illo conficiendas; sed & apud
patrem eum insinulavit, qui cùm eum ar-
matum pugione deprehendisset, nihil pro-
piùs abfuit, quàm ut eum exauctoratum
excoecaret. Dedit tamen in carcerem mi-
serum adolescentem miserior pater, qui
latentem pestem in sinu suo alebat, Deo &
hominibus abominandam.

✱(880.)✱ Saraceni Orientales plagas
infestantes, a Basilio vincuntur, & classe
suâ expugnatâ, & magnâ ex parte amissâ.
Moravis conceditur in mysteriis fidei uti
linguâ Sclavonicâ, atque etiam missarum
solemnia eâdem lingua cantare, S. Metho-
dio eorundem Apostolo in gentis suæ salu-
tem & speciale solatium id a Sede Apосто-
lica impetrante.

Joannes P. postquam à Marino viro
forti

forti omnia fideliter nunciante intellexit quæ gesta sunt Constantinopoli Photium & Photianam Synodum damnat, & omnia legatorum suorum acta rescindit. Nunc denique sed serò nimis fortem se Papam exhibuit, quem aliqui putant ideò dictum fuisse Papissam, quia mollior & effœminatior Photio Eunuchò resistere ausus non erat.



DECAS IX.

✽ Ab anno Christi 880. ad 890. ✽

881. **A** Thanasius Neapolitanus Episcopus excommunicatus est à Joanne Papa, quòd fœdus cum Saracenis ini- verit, neque veniam obtinuit nisi priùs ob- truncatis Saracenis quos cœperat.

Carolus Crassus Romæ à Joanne VIII. Coronatur Imperator, postquam armis Ita- liam occupasset, itaque quod aliàs ex be- nevolentia Joannes facere voluit, nunc fe- cit ex necessitate.

✽ (882.) ✽ Joannes VIII. dum in Gal- liam proficisci vellet ad dissidentes Fran- corum animos conciliandos, & auxilium impetrandum adversus Saracenos, qui Ec- clesiam valde premebant, ærumnis & curis con-

con-

confectus moritur, cuius in locum Romanus Clerus Marinum elegit Egregium Photii oppugnatorem, adversus quem Basilius Imperator multis calumniis insurrexit, quas Marinus bene vivendo patiendoque sufficienter confutavit.

Obiit etiam Ludovicus Germaniæ Rex, nec non celeberrimus Hincmarus Rhemensis Archi-Episcopus.

Nortmanni populi omnia iterum circa Rhemos depopulantur, ipsa autem urbs, quamvis muris nondum munita, Dei manu & Sanctorum patrocinio, à grassatoribus illæsa permansit. Carolus autem in Italiam adversus Nortmannos cum exercitu progressus, cum eos jam arctè obsideret, quò minus expugnaret, inusitata magnitudinis grandine impeditus est: quam lues quoque suorum secuta est. Eisdem quoque malis afflicti Nortmanni, cum Francis foedus inière, datâ Gislâ Lotharii Regis filia Godefrido eorum Duci, Christiano facto, quem ex sacro fonte ipse Carolus suscepit, & data est ei Frisia cum multa pecunia, ut potius pax empta, quam conciliata videretur.

Saraceni S. Vincentii monasterio ad fontes Vulturni incenso, nongentos monachos decollârunt.

✠(883.)✠ Marinus Papa Formosum
Episcopum Portuensem Apostolum Bul-
garorum, & insigni virtute ac laude virum,
quem Joannes (nesciturob quam causam)
Episcopatu deposuerat, & jurare compu-
lerat, quòd donec viveret, laicâ commu-
nitione contentus vivere vellet, suæ resti-
tuit Ecclesiæ, & fuit antecessoris sui sedis,
& non odii suecessor.

Circa id tempus, cum Episcopus Aquis-
granensis schismaticus (nomen ejus ignora-
tur) consentiens cum Photio negaret Spi-
ritum S. a filio procedere, in Symbolo
Constantinopolitano, à Romana Ecclesia
hæc vox inserta fuit, FILIOQUE, quod
jam pridem Ecclesiæ Gallicanæ & Hispa-
nenses fecerant, Pontifices autem facere
noluerunt, ne quid innovasse viderentur:
cum verò jam negaretur, quod Catholici
omnes admittere debebant, tunc publicè
cani cœptum est, quod antea ab omnibus
credebatur.¶

Joannes Scotus vir ille doctrina clarus
de cujus suspecto libro supra mentio fa-
cta anno 869. à pueris, quos in Monasterio
Anglicano docebat, graphiis compunctus
interiit, & martyr habitus est, quanquam
causa, quæ sola martyrem facit, non satis
prodita sit.

884. Marinus vivis excedit; cui post duos dies Hadrianus III. surrogatus est, qui Photium quoque statim execratus est licet ut reciperetur ad communionem Basilii Imperator iustaret: quare homo schismaticus rabie percitus, in eum effudit, quæ ab homine erudito sed amente scribi potuerunt,

Cassinenſe Monasterium hoc anno à Saracenis incensum, & S. Bertharius Abbas ad altare trucidatus est.

✽(885.)✽ Hadriano tertio post breve regimen Ecclesiæ mortuo, successus est Stephanus VI. à quo aqua benedicta agris aspersa, depulit locustas magnâ copiâ Romanas segetes depascentes. Liberalissimus extitit in pauperes, adeo ut bona quoque parentum suorum etiam Patre suo adhuc vivente distribueret in pauperes, cum alibi non inveniret, quo egenos sublevaret. Jam enim tum inoleverat pessima illa consuetudo ut mortuo Pontifice homines cupidi atque rapaces invaderent Palatium & deprædarentur. Ut Patriarchium Lateranense non solum Sacrariis, & vestiariis, sed etiam cibariis spoliatum Successori Pontifici relinqueretur.

Mortuus est hoc anno Carolomannus Rex cui successit filius Ludovicus Ignavus dicitur,

post
s est,
us est
m Ba-
nomo
effu-
nente
a Sa-
Ab-
bre-
fectus
edicta
na co-
Libe-
t bo-
Patre
aupe-
genos
at pel-
ntifice
derent
atriar-
riis, &
m Suc-
us Rex
us di-
ctus,

us, sive quod parum strenuè regnum ad-
ministrasset, sive quod sanctimoniam ex
monasterio Calensi sibi rapuisset uxorem :
opus Principis magis libidinosi quam for-
s. Relictus autem puerulus, Carolus
agnomento *Simplex* filius Ludovici sus-
ceptus est a Fulcone Archiepiscopo Rhe-
nensi, à quo commendatus est Carolo
Crasso Imperatori, qui in eum animo plùs
quam paterno fuit.

(886.) Basilus filium suum Leonem,
malitià Theodori Santabareni, carceri sep-
tennio jam inclusum libertati & Imperio
restituit, cum in convivio assidentibus pro-
teribus Psittacus avis hæc verba iterasset.
Heu! Heu! Domine Leo! quibus permoti
convivæ tristes abstinebant: Cumq; eo-
rum unus miserum Principem defendisset,
permotus quoque pater eum solvi jussit,
imò etiam mox hæredem reliquit, cum ex
diarrhæa obiisset: Magnus sine dubio bello
& pace Imperator, inter summos Christia-
nos Principes numerandus, tum ob pieta-
tem, tum ob res bellicas præclare gestas,
nisi seductus à Photio prævaricator factus
esset, octavæ Oecumenicæ Synodi, cui sub-
scripserat, & tam Photii quam Santabareni
præstigiis dementatus, in Romanam Ec-
clesiam, pro eodem Photio insurrexisset.

Memorabili exemplo omnibus Principibus Catholicis, quantum sibi cavere debeant ab hominibus ingenio & nequitia magnis.

Sub hoc Imperatore (sed tempus ignoratur) Scythæ dicti Chrovatæ & Servii se dediderunt, & acceperunt ab eo agros colendos, unde Croatiae & Serviae regionibus nomen.

Sub ejusdem auspiciis Andreas Dux Sacracenos Tarsi regnantes repressit, cum eorum Princeps litteras blasphemiarum plenas in Christum ejusque matrem ad eum misisset, has enim ille ad imaginem B. V. appendit invitans ad vindictam, & progressus in hostes ita eos contudit, ut hi non humanâ sed divinâ manu se se victos faterentur.

Leo ergo filius Basilii cognomento Philosophus cum primùm solus imperare cepit, mox Photium cum Santabareno consilium ineuntem de cognato suo in solium evehendo, deposuit, & in Armenorum monasterium relegavit, substituto ei Stephano Basilii filio, quem Pater Ecclesiasticis officiis designaverat & consecraverat, Theodorum autem Santabarenum verbis egregiè cæsum, & excæcatum Athenas relegavit, qui nisi mitiorē se Leo præbere voluisset, flammis exurendus fuisset.

Cum

Cum verò Pontificum decretis statutum esset, ut ex eis quos Photius ordinasset, omninò cessarent ab Ecclesiasticis Officiis, nec majori gradu elevarentur, missa est legatio ad Romanum Pontificem, & humilimè petita **dispensatio** pro Stephano, eaq; pro reducenda Ecclesiæ pace benignè concessa à Stephano Pontifice. Quid porrò factum sit cum Photio, & qua morte obièrit silentio altissimo obrutum est ab amicis & fautoribus ejus subtractis & suppressis omnibus tabulis & scriptis, è quibus ejus viri scelera innotescere orbi potuissent, quem eò magis sui amârunt, quò minùs affectu & amore se dignum exhibuit.

(887.) Anglia & Francia à Nortmannis infeitantur & desolantur, Anglia quidem ab Hastingo, qui fictè suscipiens baptismum, eo usus est, ut Anglos majoribus damnis afficeret; Lutetia quoque obsessa ab eisdem, sed precibus B. M. Virginis & S. Germani liberata.

(888.) Mortuus est Carolus Crassus Imperator, jam ante à suis repudiatus magno Dei judicio, ut qui ex suspitionibus Richardam Augustam conjugem suam innocentem repudiasset, idem in Conventu Triburiensi à suis repudiatus fuerit, tradito ejus regno Arnulpho Carolomanni

filio: adeoque ad ima Carolus depressus est, ut victum quotidianum ab Arnulpho supplex exposceret.

Post hæc scissio magna in Imperio, Berengario Duce Foro-Julienſe in Regem Italiæ electo: Widone seu Guidone Lambertii Ducis Spoletii filio, sibi Imperatoris nomen assumente: in Gallia Odone comite Parisiensi regnum sibi usurpante, cum tamen viveret adhuc Carolus simplex legitimus hæres & adhuc puer, sed & Rudolpho Conradi filio Regium sibi nomen arrogante. Et quod deterius adhuc ac monstruosum videbatur, etiam Episcopi quidam atque Abbates armati in bella ruebant, & cædebant & cædebantur. Sacrorum Canonum violatores, ac pastoralis Officii sui desertores detestandi, quibus malis ut medelam afferrent Præsules Ecclesiarum Mogunticæ cum Arnulpho tunc temporis Rege Germaniæ & nondum Coronato Imperatore Concilium instituerunt.

Obiit hoc anno S. Stephanus Patriarcha Constantinopolitanus, ab ipsis unguiculis & fasciis, vitæ innocentiam & sanctitatem illustri.

Aurelii in monasterio Monialium S. Petri, imago quædam Crucifixi aliquot diebus ubertim fleuit. Et lupus quidam irruens in

ecclesiam pulsavit campanam: quæ portenta haud dubiè urbis illius incendium & devastationem prænunciabant, quæ sequente anno cum omnibus Ecclesiis cremata est.

(889.) Germania miserè vastata est per Hunnos, ab Arnulpho immissos. Gallia quoque & Italia devastationibus Principum lacerata. Urbs Aurelianensis tota flammis consumpta, aliaque mala passim grassata.

(890.) Mortuus est Stephanus VI. Papa, cui anno sequente successus est Formosus.

Alanus Dux Britannia, cum proceribus edito voto S. Petro, de decima parte honorum suorum donanda, tam feliciter adversus Nortmannos pugnavit, ut ex quindecim hostium millibus vix quadringenti superfuerint.

Obiit etiam Constantinopoli Antonius Episcopus S. Stephani, uti in sede, sic etiam in sanctitate & miraculis successor.

Huic successus est Nicolaus cognomento *Mysticus*, quod erat nomen primæ dignitatis post Chartularium, cuius erat insignis Tyara & prætexta vittata loris, itaque tantum officii, & non alicujus mysterii nomen hoc erat.



DECAS X.

✠ Ab anno Christi 890. ad annum 900. ✠

891. **F**ormosus Episcopus Portuensis in
 ✠ **F**locum Stephani creatur Romanus
 Pontifex, propter singularem religionem,
 morum integritatem, & doctrinam, ad
 Summum Pontificatum ab Episcopatu ali-
 unde postulatus, quod minimè alias in Ec-
 clesia fieri consuevit, & ut in exemplum
 non assumeretur, in Synodo nona sub Jo-
 anne prohibitum est.

Pontifex dispensavit cum Photianis (prout
 missa legatione ab Orientalibus petebatur)
 iis scilicet, qui fraude vel vi à photio Pseu-
 do-Patriarcha Constantinop. seducti fue-
 runt, ut Episcopi & sacerdotes ab eo ordi-
 nati, si prius oblatis libellis se deliquisse fa-
 terentur, & pœnitentiam agerent, laici
 autem, qui Photio adhæssissent, etiam sine
 libellis supplicibus exhibitis, admitterentur.
 ad quæ ritè peragenda, & perpetuò con-
 firmendam Photii damnationem Legatos
 Constantinopolim misit, Landenulphum
 Episcopum Capuanum, & alium Episco-
 pum nomine Romanum.

✠ (892.) ✠ Wido Romæ à Formoso
 Pon-

Pontifice Imperator coronatur, quo facto Formosus invidiam Berengarii & Arnulphi, imò & civium Romanorum adversus se concitavit.

Carolus Simplex filius Ludovici Balbi, & regni Francorum legitimus successor, quatuordecim tantum annorum puer, in conventu Episcoporum & Procerum Rhemis a Fulcone, ejus civitatis Archi-Episcopo, Rex inunctus est, rejecto Odone Comite Parisiensi, qui regium nomen tyrannicè usurpaverat.

Herbipoli Arno Episcopus, dum sacratissimum Missæ Sacrificium celebrat, ab hostibus interfectus, Martyrium cum suis consecutus est, & eodem loco postea sæpe accensa luminaria visa sunt, ut scribit Dittmarus.

(893.) Formosus ex omnibus, quos potuit, Episcopis Concilium convocavit, & Lambertum Widonis filium unxit Imperatorem, ut sic aliis ambientibus tolleret Imperii cupiditatem, & Ecclesiæ noxias multorum spes extingueret.

Ardet vehementissimum bellum inter Simeonem Bulgarorum Regem, & Leonem Imperatorem: eodemque per plures annos propagato, Leo Turcas & Hunnos in societatem armorum contra Bulgaros

vocavit, ex qua dissensione factum est, ut Bulgari rursus Romanæ Ecclesiæ sponte se subjecerint, à qua per schisma Photianum abscissi erant

✽(894.)✽ Formosus pro Carolo Simplici stabiliendo in regno suo scribit ad Odonem Comitem Parisiensem, qui adversus Carolum insurgens, tum etiam apud alios Episcopos & Reges laborat.

Providit etiam Ecclesiæ Anglicanæ, quæ ob incursum Danorum Episcopis destituta, pœnè ad gentilitatem reciderat, quamobrem litteras ad Regem Eduardum dedit, minaces quidem, sed hoc tempore salutare: quamprimum enim Synodus ibidem celebrata, reduxit pristinæ pietatis & religionis faciem atque vigorem in Angliam languentem.

✽(895.)✽ Celebrata est hoc anno Synodus Triburiensis in Germania viginti duorum Episcoporum, qui ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam 58 Canones statuerunt.

✽(896.)✽ Arnulphus Rex Germaniæ iterum Italiam ingressus, consentiente Formoso Papa, Romam armis cepit, ultusque est in Romanos injurias Pontifici illatas, & demum ab eodem Imperator coronatus est: unde tres simul Augustos hoc
anno

Occidens vidit, legitimos tamen tantum duos, Quidonem & Lambertum: Arnulphum autem intrusum, quanquam volente Pontifice, cujus primæ curæ secundis sapientiores erant.

Eodem anno mortuus est Formosus variis exercitus calamitatibus, quæ nec ipsa ejus morte sunt terminatæ.

✠(887.)✠ Bonifacius invasit sedem Romanam, & tenuit diebus quindecim, damnatus postmodum in Synodo Romana sub Joanne IX. homo sceleratus, bis depositus, & Diaconus & Presbyter exautoratus. Hunc depulit Stephanus VII. (dictus ab aliis sextus) intrusus quidem, sed postea accedente consensu Cleri toleratus; ne schismate Ecclesia scinderetur. Hic Formosi cadaver extraxit è sepulchro, sacrisque indutum vestibus, in sede Romana collocavit, & posteaquam ei tanquam vivo exprobravit, quod ambitione nimia ex Portuensi Episcopo Sedem Apostolicam occupasset; sic damnatum sacris vestibus iterum exiit, & tribus digitis (quibus benedicere moris) mutilatum, in Tiberim jactavit; & cunctos, quos idem Formosus ordinaverat, gradu depositos, iterum ordinavit. Ita furore percitus homo, non quod jure ligeret, sed quod ex-

æstuans rabies svadebat, implevit, neque enim error hic fuit in fide, sed violenta tyrannis in facto. Hoc tam grande Sacrilegium adscriptum fuit Sergio, quod ille tunc Presbyter ad id antesignanus fuerit & auctor, sed graviolem culpam Stephani Papæ fuisse liquet, qui nefarium scelus collectâ suorum Synodo probavit, quæ postea legitimè rescissa, & igni tradita fuit à Joanne IX. Cadaver autem Formosi a piscatoribus postea inventum & in Basilicam S. Petri relatum, Sanctorum imagines mirabiliter salutârunt; quod Dei testimonium sceleratorum factis prævalere debet.

Hoc porro tempore Adalbertus Marchio Tusciæ, cognomento dives Romam occupavit, & Stephanum introduxit: ille ergo potitus Hadriani mole vehementer afflixit Ecclesiam; quod ut Deus ostenderet impium & detestabile esse, Basilicam Lateranensem subitâ ruinâ disjecit, relicto tantum ejus sacrario ubi sedes Pontificis erat: ut eo facto spes aliqua secuturis Pontificibus relinqueretur.

(898.) Carolus suis viribus diffidens statuit Nortmannos in auxilium evocare, quorum armis suffultus Odoni par esset. Sed obstitit Fulco Rhemensis Archiepiscopus asserens hanc cum infidelibus

bus societatem Christianis nocituram: Ac-
quievit Carolus sancti Præfulis monitis,
& statim obedientiæ suæ præmium retu-
lit. Odone namque mox vivis exem-
pto proceres omnes eum Regem agnove-
runt habuitque omnes Francos obsequen-
tes qui recta svadenti Ecclesiæ prudenter
acquievit.

✽(899.)✽ Gvidonis uxor Soporife-
ram potionem Arnulpho miscuit, unde
morbum pedicularem contraxit & obiit,
vir divini humaniq; juris perturbator, ne-
que multo post Wido Imperator interiit,
eundem secutus morte, cui scelere pro-
pinquus extiterat.

✽(900.)✽ Stephanus inuasor sedis
Apostolicæ in carcerem ab inimicis intru-
sus ibidem suffocatus est: cui successit à
Romanorum factione contra Adelbertum
Thuscix Marchionem prævalente intru-
sus quidam Romanus nomine Patria Galle-
sianus, qui spatio quatuor Mensium extin-
ctus est.

Proditoriè quoque interfectus est Fulco
Archiepiscopus Rhemensis jussu impii Bal-
duini Flandriæ Comititis! qui necem intulit.
Winsmarus percussus ulcere pessimo,
putrescentibus carnibus & exundante sa-
nie vivus à vermibus devoratus est.

Sub-

Sublatis duobus Imperatoribus Arnulpho & Gvidone de Imperio disceptarunt Berengarius Dux Forojulienfis, & Ludovicus Bosonis filius: & Berengarius accedens Papiam obtinuit regnum, sed cum Ludovicus Berengarium fugere compulisset, ac venisset Romam & ibi coronatus dictus Imperator est, quia fortior & felicior extiterat.



S A.